DE RE PAROECIALI AD ETRUSCUM PRAESULEM PROLUSIONES [RAYNERIO...

Ranieri Tempesti

DE RE
PAROECIALI
AD
ETRUSCUM PRAESULEM
PROLUSIONES.

ROMAE MDCCCXVIII.
EX TYPOGRAPHIA LINI CONTEDINI.
Praesidibus annuentibus.

ADPROBATIO.

De Re Paroeciali ad Etruscum Praesulem Prolusiones Opus Epistolis numero viginti ab eximio Pisano Cive Raynerio Tempesti I. U., et S. T. Doctore absolutum, mihique pro censura si Romanis typis vulgari jure possit demandatum; maxima sane animi voluptate perlegi. Etenim quaecumque vera, quod Philippenses (IV. 8.) cogitandum, et agendum monebat Apostolus, quaecumque pudica, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, homini in sortem Dei ab adolescentia vocato, perque constitutos in Ecclesia gradus, ad Paroeciale munus ascensuro, aptari, coli, exerceri conveniant, vel respui, rejicique oporteat, omnia haec sufficienter, erudite, apposite, sapienter collecta, nec non maturo judicio, et cultiore, gravi, fluente, eleganti stylo explanata ubique reperi, ac pene miratus sum. In tempora enim incidimus, de quibus omnia allophyla, et peregrina diceret ille non nemo:

Cum sit turpe magis nostris nescire latine;

et ea quae amoeniori interdum, blandoque sermone vulgata conspicimus ad audientiae popularis illecebram, mirum plerumque est quantum habeant in rebus inane, vel quam sermo eorum ut cancer serpat. Non equidem tanti vendit orationis flosculos, doctus aeque, ac pius Auctor noster. Documenta etenim, et praecepta vitae, in quibus hominem Dei erudit verbis bene fluentibus, consona apprime sunt immotis fidei nostrae dogmatibus, nec non sanioribus Ethices Christianae regulis, ita, ut inoffenso omnia pede decurri posse, multoque cum pietatis, et Ecclesiasticae sollicitudinis incremento censeam, atque testificer. Prodeant igitur, si quibus judicii hujus sanctio pertinet, arridebit, prodeant in lucem, profectumque hominum hujusmodi Prolusiones, Auctorique suo pariant, quod unice viro frugi expeti decet exantlati laboris praemium, ut ad majorem Omnipotentis Dei gloriam, et ejus Ecclesiae bono, foelix faustumque sit.

Dabam Idibus Maii Anni MDCCCXVII.

Jo. Marchetti Archiepiscopus Ancyranus.

ADPROBATIO.

Perlegi libentissime Sacerdotis Raynerii Tempesti De Re Paroeciali Prolusiones *nitido, cultiorique stylo penitus elucubratas. Hisce quidem adolescenti in sortem Domini, et ad ruralem praesertim Paroeciam utiliter, sancteque regendam vocato, primum sacra tyrocinia decurrenda, mox scientiae sibi propriae severiora, dein exercitationum praecipua, potioraque in ministerio munera demonstrantur, explanantur; ipse demum per omnes vitae gradus ad ultimam usque senectutem pro dignitate agendam, supremumque funus, manu veluti ducitur. Omnia vero in eisdem Prolusionibus mihi visa sunt orthodoxae Fidei dogmatibus et Ecclesiae disciplinae apprime consona. Opus Dei Ministro, impressione, cedro dignum, et auro.*

Dabam ex Aedibus meis idibus Maii MDCCCXVII.

Michael Belli Archiepisc. Nazianzenus.

EPISTOLARUM ELENCHUS

Qui vera pietate praediti bene vivunt, si habent scientiam regendi pupulos, nihil est foelicius rebus humanis, quam si Deo miserante habeant potestatem.

S. Augustin. *De Civit. Dei Lib.* 5. *cap.* 19.

EPISTOLA I.

Παράληψις.

Quas mihi, nuper vita functi, pastoris optimi (1) selectas conscribere laudes, Praesul amplissime (2), demandasti, eo libentius acceptum referrem, quo facilius omnimodam tibi obsequentis animi devotionem datum ostendere, eidemque simul invisceratae olim amicitiae suprema pietatis officia quoquo modo persolvere. Sed arduum sane et humeris impar meis, vir clarissime, quaeritas. Nec enim virtutum ejus praeconia me verbis tantum attexere, verum ea insuper omnia, quae ad ruralem praesertim paroeciam utiliter sancteque regendam, difficili prorsus aevo nostro, exoptentur, enixe flagitas. Quid autem, ut Hieronymum pene referam, homuncionem ruri dudum prae angustia spiritus latitantem, eumdemque vetulum, et ocii tranquillitate ac solitudinis amore captum, Antistes egregie, petis? Equidem fatear, me quatuor supra viginti annis ab urbium procul clamoribus immorantem, undequaque vel fortuito rem expendisse, tuaque usum familiaritate, quibus oves aeque ac pastores urgeantur incommodis, quibusve facile reficerentur praesidiis, saepissime dictitasse. Ast, ecquis ego, qui sacri munia regiminis singillatim inquirere, atque didacticas paroecialis vitae regulas, clericorum minimus, valeam praeferre?

(1) Philippus Montanellius, Usilianensis paroeciae in dioecesi Miniatensi per annos XXXVI. rector promeritus, qui obiit Idib. Aprilis proxime elapsi anni MDCCICVI., aetatis suae anno LXVI.

(2) Vir clarissimus Nicolaus Marcaccius, Civis Pisanus, Episcopus Arretinus.

Memineris quaeso et me, viridi adhuc juventa, ut animarum onus grande subirem, in sacrorum stadio, haud ignobili fortasse gradu, uti quidem visum plusculis, cursitasse: verumtamen, seu temporum hominumque injuria, seu verius nolente Deo, nusquam apprehendisse bravium. Mirabili dein actum providentia, ut praeclarae et piissimae Foeminae (1) munificentia, splendido excultoque Sacello; atque domo venustissima, mei plane gratia, solo excitatis, reditibus quoque affatim honestatus, volens lubensque sancta ultro ministeria peregerim. Quae sane benefacta, sponte collata, devinctissimo alte animo infixa, ideoque haud facile obliteranda, nullis unquam meis satis exaequanda votis, neve unquam dictis celebranda satis, quamdiu vita superstes erit, dulce mihi decorumque profiteri. Curis hinc vacuum, ratumque *ducere sollicitae jucunda oblivia vitae*, exercitationibus considentem quibusque meis, ad insuetum inopine studiorum genus, patrio nempe honori in re literaria adserendo, virisque claris e temporum edacitate vindicandis, benevola amicorum (2) officia, dehinc et Primatis amplissimi (3), optime de Patria sede promeriti, impensa studia consiliumque sapiens, dudum, uti nosti, evocarunt.

(1) Joanna Comitissa de Cataldis, Comitis Francisci del Testa de Tinioso de Gambacurtis, viri Patricii clarissimi, conjux lectissima, quorum protulisse nomina, laudes addidisse est.

(2) Cl. Josephum Vernaccinium, supr. Magistr. Auditorem, publicae spei immaturo fato praereptum, et Equ. ornatiss. Joann. Vincentium Cosinm de Vollia, magnum Stephan. Ord. Comestabilem, tot inter egregios concives meos, honoris et amicitiae gratia, mihi gratulor commemorasse.

(3) Vir Patricius clarissimus Angelus de Franceschis Pisarum Archiepiscopus.

Ab ejusmodi vero amoenissima tritaque semita, quianam, Praesulum humanissime, ad severiorem celsamque palestram haud expertum impellere inscitumque obnitaris! Quin age, id etiam tribuas, ut mihi aliquid volenti animo, validisque ausim conatibus polliceri: nonne et ingeniis et moribus Christi domesticorum rite dirigendis ac efformandis fere innumera hinc inde praescripta, adeo ut non cuncta dicam in unum congerere, sed quaeque tantum eaque potiora deligere ac veluti delibare, diuturni sane improbique fore laboris, optime noveris? Interminam prope hanc mente volvens provinciam explere, diu haerens expavi; mos attamen gerendus tibi est.

At ne conspicuum me aliquid portendere suspicaberis. Neque multa polliceor, neque nova. Antiquorum ingentia volumina, denso obesa pulvere, teredine mox abrodenda, in bibliothecis plerumque negligere: recentiorum vero scripta copiosiora rarius emere, recepta dimittere, aut brevi tantisper manu reserare vix, vel indesinenter oscitando utcumque caesim lectitare: nullum opus, nisi brevitate pollens ac veluti in crumena, ut ajunt, portatile, aequi bonique facere, presbyterorum quoque permultos videre est. Sin idcirco nimia congesserim, *quis leget haec? vel duo, vel nemo: turpe et miserabile.* Ut igitur morosis istiusmodi quidquam indulgere, et novissimis hisce ἀπόχρησι paulatim assuescere videamur, rem totam, ad potiora quaedam capita revocandam, epistolis, seu prolusionibus totidem; contractiori quoadusque liceat synopsi, paucis concludere ac fere inminuere conabor. Absit vero quid novi ad sacra quomodocumque moliri. Sinamus, cuncta facile ventilantes aevi nostri loquutulejos, cujusvis facultatis typo vix prodeuntes libros hac praesertim una, nil videlicet novi praestitisse, nota gravissi-

ma, nobis deridicula, criminari; clericis autem nostris, ut invictis tantummodo majorum documentis inhaerentes, e trito jam ab eis tramite vel minimum praecaveant declinare, numquam satis commendemus. Atque utinam ab navo probatoque aliquo perutiles conficerentur diatribae, quibus ad sacras praecipue disciplinas de iis, quae minime sint addiscenda, adolescentes commonerentur.

Ceterum, quum ab ipsis divinae Sapientiae oraculis instruamur, magnos in coelorum regno vocandos *qui fecerint, et docuerint*, geminam hanc dicendi spartam libenter nactus, eamdem pro ingenioli tenuitate undique pervestigare, ac singulatim de utraque disserere operae pretium existimavi. Quamobrem, optimae spei adolescentem, in sortem Domini feliciter evocatum, ad quaelibet sibi necessaria studia, nec non ad sacra tyrocinia alacri animo decurrenda veluti manu praeducam, quamdiu ad paroeciale fastigium evehendo scientiae sibi propriae severiora, exercitationum praecipua, potioraque munera in ministerio sancto obeunda satis praemonstraverim: pauculis hinc ad morum regulas vitaeque honestatem pro temporum nostrorum opportunitate praesignatis, pastorem undequaque sibi gregique suo pro viribus insudantem, senectute quoque confectum, ac postremis haerentem horis inspecturus.

Me quidem nullius studio Scholae praeventum, me numquam prae aliis in alicujus verba jurantem, novisti satis. Verbum Dei scriptum ac traditum, Conciliorum, Romanorumque Pontificum decreta, tutissima Patrum dogmata, haec mihi inconcussa loca et uberrima, e quibus innocua apprehendisse manu mea prorsus gloriatio est. Nec vero ab ipsis Patrum, et probatissimis quoque quorumvis scriptorum libris plurima deflorasse erubuerim. Si

quid enim pulchrius, aut aptius invenerim, id ut avidius carperem ac veluti meum lucrifacerem, cura mihi haec jucundissima, fontibus insimul e quibus hauserim, notula ad calcem adjecta, fere semper indigitatis, nilque persaepe ab sententia mea proloquutus. Ejusmodi sane licentiam, philauthiae licet minus decoram, at pigritanti forte obsecundam ingenio, haud parum hisce meis inlustrandis ornandisque lucubrationibus accomodatam, easdem ceu pretiosis ditare lapillis, meamque aliquo modo egestatem sufficere posse arbitratus: et hanc mihi apprime ratus optionem integram esse, consarcinatorem potius quam auctorem egisse: ut proinde benigniorem ab lectoribus meis indulgentiam promerere, tuoque, Praesul bone, desiderio satis aliqua saltem ratione fecisse confiderem. Atque utinam quantulacumque ista Etruscis animarum custodibus probanda, utinam profutura!

Potiora quaedam breviori attigisse calamo, plurima dimisisse, fortassis insimulabor. Verum, si, praeter quod jure sacro declaratum atque sancitum, a magna illa scriptorum turba, qui moribus Ecclesiae administrorum componendis singula, et repetita cumularunt, ne tractatulos ac libellos, qui omnium teruntur manibus, memorem, cuncta fere complecti tulisset animus, interminam pene mihi, supervacaneam ceteris tentasse aleam profecto viderer. Par quoad sacrorum ministrationem in promtu ratio est. Etenim ne quid nimis ad ea omnia, quae singillatim ab Ritualibus edoceantur; quum alioquin quaestionum plurimae a viris theologis ad haec passim elucidentur, quod abs nostro alienum instituto, scholae autem proprium esse, ambigat nemo; tametsi nonnulla, uti reor, necessariora, aetatique nostrae congruentia opportune quandoque sategerim adnotasse. Item circa quaeque sacri mi-

nisterii accessoria levius parciusque: maxima enim et plurima cursim consideraturo, ad minora, et paucula curae desunt solicitiores, haesitant animique. Rursus ad diversas studiorum exercitationes, fusius quam res ipsa forte postulasset, adlaboratum. At quum diebus hisce nostris, quid namque sentiam adjicere praestat aperte, praepostero quidem ordine, seu verius inordinate omnino ac saltuatim disciplinarum curricula a clericis generatim praetergressa noverimus, regulare ideo specimen aliquod, absolutamque veluti methodum necessum duximus praesignasse, quibus gradatim ad propria sibi studia inoffenso pede ducerentur, eaque cum uberiori proventu candidati nostri repeterent.

Ne insuper me saepissime in criticis proludere demireris. In scientiis enim naturalibus, in literaria quavis, ac re qnoque sacra (salvo fidei semper unius irreformabili vinculo) unumquemque proprio sensu abundare, juverit meminisse. Quandoquidem vero meis, aliorum interdum innixus placitis atque animadversionibus, aliquid opinarim, absit, ut quicquam ulli superimponere, rataque veluti ferre judicia, videar autumasse. Alioqui mihi moris esse, scripta nullius vellicare, nemini invidere sua, haud te plane fugit; itaut in alios nedum temere adlatrantem, sed pluribus etiam coaetaneis meis moderatiorem inventum iri confidam. Verumtamen et nugis et mendis ni fatear opusculum hocce scatere meum, at quidem timeo; quocirca, severiori trutina pensitandum, politulae emendationi tuae, vir praestantissime, ipsum omnino relinquo, atque infallibili Sanctae Apostolicae Sedis judicio quaecumque scripserim humiliter subjicio.

Demum indignabitur fortasse aliquis, me latina potius quam patria lingua scripsisse; hanc enim in faculta-

te quavis adeo obtinuisse, ut matrem ipsam minitari, eamque sensim in exilium pellere videatur, e recentiorum placitis atque lucubrationibus undecumque conspicimus. Nec ideo succenseam, mirabor magis, perdoctos quosdam piosque viros et nuperrime theologica et moralia, latino assueta doceri, italico sermone edidisse. Verum si ad quaelibet cujusvis disciplinae vernacula uti eloquutione cuique integrum esse, dabo ego non invitus: in sacris attamen facultatibus tradendis aut inlustrandis una latina lingua utique semper exscribendum, jure meritoque censuerim. Vetus quippe itemque recentior de hujusmodi negotio querela est. Saeculo namque XVI. ineunte e classicorum scriptorum exemplis et animadversiones et regulae congestae ac evulgatae, nec non plurima insimul laudatorum hominum opera italicam adeo linguam extulere, ut nisi latinam extrudere, suppari saltem cum ea regno potiri visa sit. Hinc acriori minerva in utramque decertatum: pro illa Bembus, Fortunius, aliique centeni, pro hac vero in Atheneo nostro Bargaeus, Sigonius, ac fere cum ipsis innumeri eruditorum annisu magno stetere. Attamen, inter adultae jam italicae linguae elegantiores formas aureamque ubertatem, quae ad sacras praesertim attinent disciplinas, latino exarata idiomate, antiquiorem emeritae linguae primatum ad haec usque tempora adseruere; donec adversus eam Alambertio in arenam iterum descendente, multorum post illum studia exarserunt, ut nempe suaderent, literarum, scientiarumque omnium exercitationes nativa lingua exscribendas ac tradendas, latinam vero, quod callida prorsus moliebantur arte, ad nequiora forte, si datum fuisset, properaturi, funditus evertendam. Sed *veterem in limo cecinisse querelam*, et repetita et rancidula jam saepius profligata atque deleta, no-

vo tantum verborum lusu recoxisse gratulemur (1): ab recentioribus vero nostratum vindiciis fortiter naviterque devicti (2), aliquando utinam conticescant.

Demortuam Romanorum linguam perbelle clamitant; atqui licet in communi tantum loquendi consuetudine desierit, in sermone tamen scriptisque doctorum hominum semper et ubique locorum viguisse compertum est (3). Cujusvis enim linguae robur et decus non dicimus vulgus esse, sed perpolita sapientum effata atque scripta. Ecquis plane dubitarit, non modo aetatibus, uti vocantur, argentea, et aerea, sed ferrea quoque ac lutea, Romanam linguam adhuc vitam traduxisse? At sane in ea usurpanda recentium clarissimi eo usque devenerunt, ut vel ipso aureo latinitatis aevo effloruisse omnium calculo judicarentur. Si ergo super tunc vivente domortuae nunc linguae politior usus abunde praestitit, desinant quaeso, ad aliquam linguam repraesentandam, ut eadem in vulgus omnino vivat necessum fore, submorosi critici jactitare. Silentio praeteream, dictiones plurimas vigentibus modo consuetudinibus, diversisque scientiarum atque artium incrementis sollertem recentiorum industriam apposite ac feliciter accommodasse; quae sane viventis linguae haud tantum signa, sed lucra atque auctus aequo jure dicendae.

(1) Videndum prae ceteris *Uberti Folietae* egregium opus *de linguae latinae usu et praestantia*, in quo momenta quaelibet ejusdem linguae usui dimittendo, a recentioribus tamquam nova ac propria sibi vindicata, strenue exagitantur ac penitus conteruntur.

(2) Ferri *Epist. in Alambertium. Faventiae* 1771. Itemque Aldini *De varia latinae linguae fortuna*, *Cesenae* 1775.

(3) Facciolatus *Philologicarum Epist.* 6.

Difficultates, factam ideoque primaevi temporis pretiosi jacturam, quibus, sicuti obtrudunt adversarii, in Romana lingua primum addiscenda ephebis fere senescentibus studiorum potiora retardentur, non moror: tot enim dimissis praceptorum ambagibus, brevior hodie via et efficax ab exemplis; et nos, aliquantula docentis itemque addiscentis industria, vel unius anni spatio ejusmodi stadio excedere tyrones posse, suo loco adnotabimus. Demum, etsi generatim ubique mortuam istiusmodi linguam daremus, eamdem tamen in Ecclesia Christi ab ipsis ejus incunabulis re quidem vixisse jugiter, et usque adhuc cultissimam efflorescere, minime ambigendum est; nemoque unus assentiet relligioni sacrorum profuturas quas innuunt de re quaque vernacula lingua versiones. Nonne quae divinis comprehenduntur codicibus, quae ad liturgiam arcana et sancta, vulgari transferre sermone in plurimis maxime vetitum? Numquid ad Biblia, Canones, Decreta, in quibus versandis explicandisque implexa quaeque ne improbo quidem labore interdum queant expediri, versiones exhibeant, quae (praeterquamquod, haud facile conficiendae, innumerae propemodum exoptarentur) vel non satis accuratae ac sincerae, vel cunctis numquam numeris absolutae, novis propediem quaestionibus latam adeo panderent viam, ut dubiis quibuscumque ad fidem autographorum dirimendis, ab ipsis fontibus, quod et iidem, nescio quo pacto illudentes sibi, ultro dant adversarii, haurire passim compelleremur?

Hisce igitur ceterisque ex lubidine contendentium commentis vale dicto, linguam pulcherrimam, quae tot ab saeculis perpetuo stat, in ultimos usque Nepotes duratura, alacri volentique nisu foveamus. Etenim in omnem gentem effusa, ipsa quidem, cujus vel ope unica dissimil-

limarum nationum inventa atque lumina hominibus communia fiunt universis: cui proinde plurimum debeat facultas quaecumque, et res omnis literaria, debeat et sacra: cui pars tanta fidei nostrae concredita: quae denique ab Ecclesia veluti sancita ac fere consecrata, ejusdem administris propria, necessaria, ac jucundissima est.

Habeas itaque, Antistes optime, latinas profecto, uti res tantae, pusillis ac mulierculis palam nequaquam aperiendae, postulabant, prolusiones qualescumque meas; in quibus haud dissimulaverim, me quamvis de lingua venustissima mox disserentem, id minus castigate praestitisse; plusculis vero patrio sermone libellis exarandis operam dudum navanti, nec politulae ac limatulae romanae urbanitatis arte satis exculto, plurima et difficilia brevi stylo complecti raptim enitenti, des libenti animo veniam, meque benevola qua soles comitate prosequaris.

EPISTOLA II.

Prolegomenon.

Praeclarum decus, ordinem pulcherrimum, validius Ecclesiae catholicae firmamentum ab unitate et conformitate deprehendimus promanare *(A)*; essentialiter illam quidem ad unanimem dogmatum morumque consensionem, alteram vero, licet accidentaliter, ad disciplinam, e multiplici partium omnium compage, unam et indivisibilem, primam et novissimam, ideoque veram et optimam mire efficere novimus aedificationem corporis Christi (1). Ut autem pro sui forma gubernii praecellens ejusmodi unitas obfirmaretur, sacra, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris, divina ordinatione, hierarchia instituta (2), ab invisibili ejus capite Christo Domino Caput in Ecclesia visibile, quod ejus gerat vicem, apprime constitutum *(B)*: et Petro, in hujusque persona, haud unquam intermissa ac legitima successione, ejusdem loco subfectis, Ecclesiae universae et oves et agnos pascendi, et fratres confirmandi cura specialiter demandata, atque auctoritatis aeque ac jurisdictionis tributa undequaque potestas. Hinc per unum Romanum Pontificem, qui *potestate Petrus, unctione Christus, et pastorum omnium pastor* (3), auctoritatem, ipsis quoque divinitus traditam, ideo cuncti recipiunt Episcopi, ut secum intimiori unitatis et caritatis vinculo consociari, eidemque sese nove-

(1) *Ephes.* 4. 12.

(2) *Conc. Trid. sess.* 23. *can.* 6.

(3) S. Bernard. *de Consid. lib.* 2. *c.* 8.

rint omnimoda submissione voveri; etenim *divina dignatio, si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus, numquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit* (1).

Equidem supra firmam inconcussamque petram, *Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis* (2), aedificata, adversus quam, ab divino oraculo, portae inferi non praevalebunt, ac veluti parvulorum sagittae factae sunt plagae filiorum, qui pugnaverunt in matrem suam, quod nuper, supremi hierarchae subvertere auctoritatem adnitentes, e nostris quoque ausisse nonnullos, ingrata adhuc recordatione meminimus. Antistites enim in episcopatu, numquam vero in apostolatu, satis abunde instruimur successisse. Nec sane Apostolorum praeminentiam, uti Febronius inter cetera deliramenta commentus est (3), in eorum electione ab ipsomet Christo facta, in qualitate testium resurrectionis ejus, et in plenitudine scientiae, miraculorum linguarumque donis tantummodo sitam ducimus; solis namque Apostolis eundi in mundum universum, et praedicandi Evangelium omni creaturae data potestas: Episcopis vero, *attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (4) = *pascite qui in vobis est gregem* (5) = *reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi* (6), aperte jussum, ut scilicet, eorum potestatem, non ad mundum universum, sed ad gregem peculiariter sibi

(1) S. Leo M. *serm. de sui assumpt. col.* 16. *edit. Ballerin.*
(2) 1. *Tim.* 3. 15.
(3) *De potest. R. Pontif. c.* 7. §. 1.
(4) *Act.* 20. 28.
(5) 1. *Petr.* 5. 2.
(6) *Ad Tit.* 1. 5.

commissum, atque, intra diœcesis vel provinciæ suæ limites præfinitam, satis ostenderetur. Licet namque pari ordinis potestate præsules cuncti rite fungantur, non ideo tamen suppar in eis jurisdictionis ac directionis potestas, quae, prae Ecclesiae universae vel particularium quoque Ecclesiarum necessitudinibus et exigentiis, modo ampliata, revincta modo est ab principe illa ordinis et jurisdictionis auctoritate, penes quam constitutiones in Ecclesia universali obligatorias, divina dispensatione, jus est decernere atque sancire. Salva proinde suamet Episcopis auctoritate, quibus vel gravi urgente discrimine, vel rerum conditione, vel ab aequissima legum epicheja, primis potissimum Ecclesiae saeculis, dehinc benigniori, prae hominum infirmitate, disciplinae relaxatione, jurisdictio tributa; et quibus usque adhuc, dum de dispensandi agitur potestate, eamdem rite competere profitemur, *nisi ostendatur vel posterioribus Ecclesiae ordinationibus; aut praxi, vel consuetudine, potestatem super eo dispensandi privative ad Concilia, aut Romanum Pontificem (cui hodie aliqua, quae olim Episcopali authoritate absolvebantur, privative competere indubitatum) spectare* (1), Van-Espenius ipse fateri non dubitavit. Quamobrem post validiores ingeniorum conatus ad originaria Episcoporum jura quaedam adstruenda, iis tuto conscientiae dictamine vindicandis, auctoritates, monumenta, gestaque tot ac tanta opponuntur, ut, in dubiis, possessui et diuturnis nec intermissis observantiis sane ac prudenter subjaceant judicia necesse est. Haereticorum autem, et psendotheologorum, qui de novo, ut ajunt, inducto jure conqueruntur et clamitant, ori obstruendo, ejusmodi ad disciplinam va-

(1) *P.* 4. *Dissert. de Dispens. §.* 7.

riationes (quaestio enim ulla nequit circa dogmata suboriri) *non in potestate , sed in potestatis exercitio atque usu* tantum intercessisse , semper et ubique reponendum (1). Quoniam vero sive in confirmationibus , sive in concessionibus , sive in dispensationibus eadem illa , e qua canonicae regulae emanarunt , superior apprime aut aequalis saltem requiratur potestas : quumque maxima ex parte in oecumenicis vel provincialibus Synodis regulae ipsae fuerint constitutae , ecquis parem saltem Concilio auctoritatem Episcopo inesse niteretur adstruere ? Jam vero et exempla desiderantur ; quae si forte praesto essent , Episcopos non proprio jure , sed tamquam ab legitima potestate delegatos egisse , dicendum fore , nequaquam ambigitur. Quod e veteribus Ecclesiae monimentis perpetuaque praxi rectissime evincitur , quum in iis , quae ad Fidem attinent aeque ac disciplinam , semper et ubique Episcopos consuevisse Romanum adire Pontificem , eumque consuluisse compertum habeamus ; quem praeterea , etiam quoad disciplinam , in alienas dioeceses legem dictasse , in eisque principem suam exercuisse jurisdictionem , ab Ecclesiae primordiis ad haec usque tempora videre est. Quum itaque e Petri cathedra , ab centro scilicet unitatis , quae ad Fidem , quae ad disciplinam rite progrediantur : quumque canonica institutione Pontifici maximo jurisdictio suprema , Episcopo autem sacramentali consecratione amplior ordinis auctoritas et sacerdotii plenitudo conferantur, adeo ut ordinis charactere sint ambo pares , longe vero inaequales regiminis potestate ; ita ab ejusmodi progressione patet in quo potissimum differat inauguratio

(1) Thomassin. *de vet. et nov. Eccl. discipl. l.* 3. *c.* 25.

presbyteri, qui inferiori praelationis gradu hierarchicae dignitati divina ordinatione conjungitur.

Presbyteros Episcopis omnino coaequales, vel non alio impares discrimine, nisi, quod hi prius in clerum cooptati fuerint, ab antiquioribus Aërianorum deliriis commenti sunt Novatores, in eodemque luto recentiores haeserunt Puritani, a nostratium innumeris tum validioribus momentis e Scriptura sancta petitis, luculentisque patrum testimoniis, tum perpetua Ecclesiae traditione atque praxi, indesinenter oppugnati ac devicti. Minoribus hinc Hierarchis ab ipsomet Christo Domino jurisdictionis auctoritatem accessisse, aliquorum Doctorum placitis dijudicatum. Sicut enim Romanus Pontifex succedens Petro, Divino jure, Ecclesiae universae caput atque magister, et quia Apostolorum in Episcopatu successores, Episcopi Divinitus instituti, ita et parochos, septuaginta duobus Discipulis, a Christo designatis, succedentes, Divina pariter institutione gaudere, confirmant plurimis: quam sane opinionem ita perhibent praeferendam, ut salva semper atque integra in parochos plebemque subditam Episcoporum censeatur auctoritas. Eâdem tamen sententia, etsi momentis haud plane spernendis innixa, eo quod sub ejus veluti clypeo pervicaces Ecclesiae refractarii, ut in vetitum anniterentur, futiles consequutiones congeminarint, ultro dimissa; nos equidem Episcoporum praeeminentiam, eosque ordine ac dignitate Divino jure ab ipso Apostolorum aevo semper et ubique presbyteris praefuisse, catholico dogmate profitemur (1); hos autem in Ecclesiastica Hierarchia locum Divina ordinatione tenere suum, edocemur (2), et ad paroeciale fastigium evectos ab Eccle-

(1) *Syn. Trid. Sess.* 23. *cap.* 4. (2) L. c. Can. VI.

siae institutione jurisdictionis ordinaria potestate pollere, ordinem utique a jurisdictione secernentes, communioribus Theologorum suffragiis, minime ambigimus. Qua de re haud inepte paroeciam ad dioecesim tamquam partem ad totum, et membrum ad corpus se plane habere dictitamus; et quemadmodum e summo Petri culmine, ceu ab fonte maximo veluti in fluvios diffluens Episcoporum auctoritas *(C)*, ita et ab hisce tamquam in rivulos paroecialis transfusa dignitas, spiritali prorsus communicatione, et absque imminutione ulla vel detrimento, quod in septuagenis senioribus magno imbutis spiritu Mosis, ejus adhuc integra plenitudine, olim praefiguratum. Jam vero ab intimo hujusmodi partium nexu miram illam efflorescere dignoscimus unitatem, intra quam siquis non colligit, dispergit, quam siquis spernit, Christum spernit, et cujus potestati siquis resistit, Dei ordinationi resistit; ab eademque conjunctione sancta ac mirabili speciosam illam disciplinae conformitatem noscimus dimanare, quam ab Apostolica Sede, veritatis magistra, Antistites omnes apprime didicère, et a quibus in pastores cunctos effunditur. Quamobrem sicut omnimoda Episcoporum in parochos vigilantia atque caritas, sic et sincera et obsequens praesulibus suis cohaesio ac obedientia pastorum, haud unquam laudandae satis, ut hierarchicis obeundis muniis unum prorsus videantur cor et anima una, in communicatione spiritus, in consensione, in vinculo pacis, et *Episcopum in Ecclesia esse*, *et Ecclesiam in Episcopo* jugiter (1) collaetentur.

Quoniam idcirco paroeciale ministerium jure meritoque paterno plane affectu, sedulaque solicitudine ab Epi-

(1) S. Cyprian. *Epist.* 69.

scopis curandum atque fovendum, ita quoque ab fidelibus cunctis condigna prosequendum reverentia, et a mundi potestatibus pro viribus adserendum. Ex eo namque, ceu per necessaria et proxima organa, magnalia Dei reserantur hominibus, humanis divina junguntur: maximum reparationis universae sacramentum ipsi concreditum, et ad opus grande, quo cuncti ad aeternam usque felicitatem evocati exsurgant atque perveniant, inchoandum perficiendumque, coelestium mysteriorum dispensatio tributa: et, quod neque angelicis concessum spiritibus, ligandi ac solvendi, rata in coelis habenda, elargita potestas. Legitimus hinc sacri ejusmodi regiminis in sociale foedus publicumque bonum influxus abunde patet. Ceterarum profecto artium ac disciplinarum munia praecipua, quin inde notabilia provinciae statui praejudicia atque damna queant obvenire, alicunde negligi posse: verum de paroeciali ministerio secus dijudicandum. Istud enim arcte adeo intimeque diversis plurimis et sapientiae, et consilii, et gubernii copulatur actibus et officiis, ut in cuncta societatis corpora motum veluti communicare, et quo magis habeat auctoritatis, eo magis ad publicae felicitatis progressiones atque incrementa directe prorsus videatur influere. Compertum quidem, in hominibus generatim intimam propriae conscientiae convictionem acrius validiusque operari, quam externas paenarum comminationes et metum, qui ab lege sit; cui proinde severiori animorum dictamini diligentiorem constitutionum observantiam, et in legumlatores eorumque administros obsequia plerumque inniti, experientia edocemur; quum insuper plusculas quoque leges, quae, prae diversis ratiocinantium luminibus, injustae, frustraneae, onerosae interdum videri possint, hu-

jusce ope dictaminis volenti submissione recipiantur, plenioremque adsequantur effectum. Atqui ejusmodi ad rei publicae commodum et tranquillitatem aequi bonique princeps procul dubio instrumentum una paroecialis vox ac directio. Quapropter hisce aliisque potioribus ad omne bonum praestandis muniis, illaesam pastoribus auctoritatem illibatamque illam, qua Christus Ecclesiam donavit, libertatem, omnino praeservandas, nemo unus inficias iverit oportere. Sicut enim ecclesiastico ministerio, quo populi in gubernantium legumque obedientia non solum propter metum, sed etiam propter conscientiam, contineantur, et non ad oculum, sed ex animo, sicut Domino, serviant, politicam novimus potestatem indigere; ita vicissim ejusdem nexu ac praesidio eget apprime ecclesiastica dignitas: quam proinde provinciae moderatores merito prosequi honore, hierarchicis morem gerere actibus, et tamquam defensores ac vindices, non enim sine causa gladium portant, eamdem undequaque tueri, sacrorumque fractores aequa severitate compescere, oportet maxime, expedit, atque decet.

Numquid forte, quae apud nos obtinuere, leges, tamquam Ecclesiae juribus adversantes, insimulabimus? Absit omnino. Equidem omnibus in confesso esse, minime dubitandum, spiritualem potestatem, quippequae ceteros naturae exsuperet ordines, numquam ab alia, quam cui per impositionem manuum presbyterii collata sit, exerceri posse, nullumque penes saeculi regnatores, utpote qui Ecclesiae filii *(D)*, non domini, constitutionibus ac mandatis circa ejus dogmata et disciplinam vel condendis, vel sanciendis, aut respuendis limitandisve jus esse: iis immo principibus, *potestatem non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad Ecclesiae prae-*

sidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, et quae bene statuta defendant, et veram pacem iis, quae sunt turbata restituant (1); sacris ideo legibus, per relligiosissimos aetate quavis imperantes auctoritate quoque sua roboratis, sic eos Ecclesiae, non praecipientes, sed exequentes, valide subservisse; haud jam quia, priusquam regali obfirmarentur edicto, latae ab Ecclesia constitutiones perfecta obligandi vi caruissent, sed ut praehabitae obligationi novum accederet vinculum, quo subditi ad earumdem legum obsservantiam, formidine paenae, facilius adigerentur, ipsarumque praevaricatio, districto gladio, vindicaretur. Sin autem novam, auctoritate propria, quoad sacra, tulerint legem, Ecclesiae praeceptis conformem, manere quidem obsequendi necessitatem quia catholici homines etsi spirituali dumtaxat jurisdictioni in spiritualibus subjiciantur, ejusmodi tamen, quia insimul cives, necessitate afficiuntur; valorem denique actus ab ecclesiastica lege seu praecepti, seu permissi nequaquam ab Principis consensu repeti, ideoque ab ejus acceptatione vel placito ipsius legis obligationem nullatenus exoriri: quamvis enim alicubi ejusmodi placita obtinuerint, neque hac de caussa legislativam Ecclesiae potestatem politicae subordinatam censeri, neque cuncta, quae facta sunt, jure ac rite facta, quamvis insuper, quum gesta fuerint, in multis tacuerit, vel forte conticescere coacta sit obedientia, et vulnera haec, saepius heu diebus hisce repetita, patienter adhuc, sui edocta exemplo Magistri, toleret Ecclesia, ne horum impatiens majora perpeti compellatur.

(1) S. Leo M. *Epist. ad Leon. Imperat.*

Quandoquidem vero, quae viderentur speranda ad commune bonum emolumenta e paroeciali ministerio nequaquam suboriri, inflantes plurimi jactitant ardeliones, liceat saltem, aut pastores, de quibus res nobis, a probro quolibet vindicare, aut veriores praevoliti ejusmodi defectus inquirere caussas. Parochis cunctis non solum suadendi munus, sed auctoritatem quoque et coactivam competere potestatem, ut ubi in charitate et spiritu mansuetudinis haud sufficiat incedere, virgam queant adhibere (1), optime scimus. Ast ecquid dicendum, si paroecialem auctoritatem, cum civili regimine arctiori conjunctam ligamine, quin ab eo qua datum ope fulciatur, vel negligi, vel exsuperari, ne quoque adjiciamus vilitari palam ac turpari pateremur? Et quidem haec patimur, nec absque acerbo animi dolore, effera hac tempestate, ejusmodi dehonestamenta conquerimur. Neque jam de adempto Fori privilegio heic nobis sermo, neve de plusculis restrictionibus ac mandatis, quae munera mere spiritualia sub generali mixtarum legum velamine perperam recondentia, Ecclesiae libertatem et hierarchicam videantur laessisse potestatem, perinde ac si eadem haec, eo tantum titulo, quia originariis, sibi inhaerentibus, haud intermissis, nec ullo tempore praescribendis utitur juribus, temporalis gubernii adversaretur auctoritati, vel conditarum ab ea constitutionum vim niteretur eludere; haec sane ac similia, cuique volenti ad rem inscrutanda, praetereamus. Verum enimvero, an vecordi praetereundum silentio, paroecialem auctoritatem sibimet omnino, et solius verbi adminiculo diebus hisce adeo relictam, ut vel praepotenti subditorum audacia sese impune despe-

(1) 1. *Corinth.* 4. 21.

ctos, immo et perculsos erubescere saepius adigantur pastores, vel irrito conatu contra adnitentes, nequiora cogantur sub oculis facinora et scandala tolerare? Nunc agesis, vigilem quemque animarum rectorem, pro summo officii sui munere, gravioribus extrudendis notisque flagitiis, quae neque hortatu ac prece mederi, neque repetitis potuerint increpationibus emendari, prudenti illa et arcana, prout rei patet inesse, circumspectione, locale adire tribunal: ut ejus chartula, sacra prorsus et inviolabilis, inter quisquilias pone, ceu tricae forent inutiles futilesque gerrae, confestim projiciatur, sive reis impudenter ostendatur conventis, unde turbae, contentiones, crimina quoque execranda uti domesticis plurimis indoluimus exemplis. Jam vero, ad geminam Ecclesiae potestatem adstruendum, non *e duobus gladiis* (1) petitum jus, licet a plurimis olim ac recens usurpatum, heic vacat in tessaram assumere (*E*). Hoc satis nosse, duos esse gladios in Ecclesia, unum spiritualem Sacerdotis manu exerendum atque tractandum, materialem alterum Imperantis vel Militis manu pro caussa Dei et ejus Ecclesiae evaginandum; seu, duas revera esse Potestates, Spiritualem nempe, ac Temporalem; diversa munera utique praescripta, limitesque suos unicuique praefinitos; collatas Spirituali Potestati claves regni caelorum, Temporali autem gladium ad vindictam malorum, ad Relligionis Sacrorum, bonorumque tutelam. Hinc eccur, quaeso, spiritualibus muniis rite utiliterque obeundis atque adserendis surdus plerumque Ensifer ac fere immobilis, aut si tandem exerto gladio, eccur inefficax ac prorsus inutilis? Id quidem, non ut valide defensetur Ecclesia, sed ut im-

(1) *Luc.* 22. 38.

pune foedis elangueat vulneribus, clavum tenuisse, nudumque agitasse; id plane, non civilem solummodo, sed spiritualem quoque sinere ac veluti urgere est tolerantiam: quod sane absurdum inauditumque innumeris Ecclesiam remque publicam periclis exponere nemo unus non videat.

Neu quisquam in probatissimos provinciae nostrae temporalis regiminis administros stylum nos acuisse suspicetur: super his enim querela nequit ulla moveri: eos imo, utpote qui christiana prudentia aeque ac doctrina praepollentes, laudibus cumulamus promeritis; quum alioqui subalternorum, juniorum praesertim, qui negotium facesserent, ministrorum licentiam, nequaquam gubernium generatim, publicamque efficere constitutionem, haud nos equidem lateat. Cunctorum tamen, qui provinciae regant habenas, sollicitam sedulamque evocandam esse curam ac vigilantiam, nequit dissimulari, ut apud Curiarum praetores certi denique inter utramque potestatem veluti rati ad praxim et firmi statuantur fines, quos intra citraque sarcta ac illaesa jura sacra serventur, ut debitus ordinibus hierarchicis dicetur honos, ut pastorum, qua par est fide atque cura, auscultentur praemonita, et quid ipsi, ad salutarem errantium ovium coercitionem, ideoque ad sociale bonum et status tranquillitatem, caute prudenterque subjiciant, efficaciter adsequatur effectum. Qua plane posthabita providi consensus consiliique ratione, obviae cuique sunt caussae, cur nostra mage quam alia quavis aetate, ruri quoque, incredibilis propalam παῤῥησια dominetur, et ab impunitatis securitate effrons ac stulta ubivis inverecundia et licentia, nec sine bonorum indignatione, prostiterint; adeo ut quidam pastorum optimi, qui deviis con-

temptui, juri dicundo praefectis inauditi, secreto compellantur adgemere, nil sibi residui putantes, nisi in manu Dei, an miserentis an ulciscentis nescirem, vota spemque reponere.

Ad ceteras autem caussas, quibus ab suomet honore paroecialem dignitatem autumant decidisse, patientem insuper admoveamus auditum; inscitiam enim pastorum enciclopedae aevi nostri linguaces cinici apprime criminantur. Respondimus, in ecclesiarum apud nos collatione, amotis consulto popularium votis, plurimum diu utilioribus vacare studiis, ut in sueto doctrinae stadio optimum sui periculum facere valeant, clericos adigi: ita ut ruralium quoque rectorum, scientia aeque ac eruditione praestantium, quorum plures, qui ab sublimioribus cathedris lucernam ponant super candelabrum, ut luceat omnibus, prorsus dignissimi, praeclaram habuisse copiam jure gloriemur. Siquos vero inferioris notae forte conspicere est, hoc sane ab laicorum patronorum facto compertum plerumque est evenire: istos quippe, paroeciis gentilitio jure providendis, absque delectu et queis ab commendationibus titulisve scit unus Deus, eas contulisse non raro indoluimus. Quandocumque autem nonnullos inter ab Ordinariis promotos, in statera perpensos, minus habentes dabimus adinveniri, quibus tamen ad oves opportune sancteque pascendas requirantur luminibus, eosdem minime carere, non dubitamus asserere: atque hoc saltem saepius adnotasse est, quosdam hujusce classis eximia prudentiae laude maxime florere: quia cautiores errandi formidine prorsus effecti, probatissimis ac sapientioribus in re quaque consultis, morem eisdem gerere impellantur et satagant, adeo ut, quod est in proloquio, prudentiam magis quam doctrinam valere, me-

rito repetamus. At unum quaererem : quid nempe in ceteris quibuscumque professionibus animadvertamus ; sicut namque insanum improbumque, eo quod non omnes Cujacii, vel Neutones, jurisprudentiam aut mathesim, eorumque sectatores cunctos insimulare ; ita quis ferreus adeo, ut illorum querimonias patienter ferat, qui in pastoribus singulis tot Hieronymos, vel Augustinos sese praesumant adinventuros ? Obvia haec quidem tritaque expostulatio, sed, cum quibus vivimus, sciolis ac nebulonibus haud unquam objicienda satis. Ecquis praeterea in quibusdam paroeciis, re domi angustissima, alpestri loco, coelove insalubri, quibus profecto incommodis scatent quamplurimae, gnaros promeritosque cunctos ausit presbyteros exoptare ? Mirum quinimo, si juniores datum conspicere, qui, veluti tyrocinium facturi, pauperculis istiusmodi infortunatisque inservire non recusent ecclesiis ; quas proinde dimissas ideo, et pastore identidem viduatas passim videre est. Num vero ecclesiasticum regimen, rectoresque culpandi ? Equidem paroecias, temporibus quoque ab nostris haud multum dissitis, majorum pietate conspicuis plurimisque bonis donatas, omnibus in comperto est ; atque egomet, nec sine admiratione, in pluribus, quos *campiones* vocant, ecclesiarum codicibus legi saepius ingentium praediorum elenchos antiquitus deditorum, quorum possessu nedum carent in praesentiarum Curati, sed quando vel quomodo in laicorum transierint dominium, ne divinare quidem possunt. Hisce porro jacturis emphyteuses fere accedunt innumerae, nimis heu facile anteactis concessae temporibus, nunc vero ad insolubilium genus contractuum adeo coactae, ut utilis aliquando recuperandi dominii jure naturali ac primario ecclesiis adempto, spes quoque om-

nis novis ulterius fidelium oblationibus ejusmodi defectui sufficiendo penitus extrudatur. Quam ob rem intemeranda Christi, ejusque domesticorum, inopumque dos, nescio an verius tecnico legum, an irrisionis titulo, *demortua manus*, inter undique vociferantium cachinnos, in vulgus nuncupata est. Sat haec innuisse: satius a dicacitate temperasse; quibus tamen praesidiis ab Ordinariorum providentia tanto rerum discrimini, aliqua saltem ratione subveniri queat, suo loco subjiciemus; aliqua, inquam, ratione; namque uni, quae sceptra tenet, potestati relinquimus, ut Ecclesiae et rei publicae bono, cunctis aequa lance perpensis, prout catholicos decet politici status moderatores, ea praeseferat justa atque temperamenta, quae neque auderemus, neque nostri ratio instituti vel sinit innuere.

Par denique in parochorum mores convicium recruduit. Verum eis hic defensandis apologeticon haud vacat exscribere. Sin autem illos in multis reprehensibiles ultro concederemus, adhuc tamen fas praeter rem conqueri exaggeratam debuissemus; rigidiores nempe zelotes quosdam in aliorum oculis festucam introspicere, trabem in propriis minime considerare: omnium ora, et quidem jure, in pastores undequaque converti, at specie mali saepissime decipi, perperam ac injuste plerumque judicatura: maximum sibi nonnullos lucrum putare, si forte datum et meliora deterere, cunctaque carpere, et ei, qui legitimus eorum considet speculator ac censor, etiam de minimis succensere *(F)*. Rectores nihilosecius, sicut ceteros hominum, infirmitate circumdatos, ideoque generatim ignavia quosdam, alios ignorantia, flagitiis quoque notandos, et nos dabimus non inviti: ingenuaque hac nos confessione coargui, insontes prorsus

qui lutulento saeculi respersi pulvere, tenebriones gaudebunt satis. Ecquid inde sibi emolumenti praeseferent? Arrigant, quaeso, aures, et conticescant. Quos praefecerit omnium Dominus familiae suae, hi plane administri et domestici ejus, hi mysteriorum depositarii, verbi sacrorumque dispensatores, et haereditatis pretiosae, quam Servator pientissimus acquisivit sanguine suo, curatores ac duces, eorumque dignitas ac potestas, ad finem usque saeculorum firma jugiter, efficax, inviolata: neve lux tanta ab externis quibusque maculis obumbrari, neve multiformis largitio gratiae, quae pastorum, operante Deo, mire adnectitur vocibus, vel minimum poterit attenuari. Ut illustrior haec sui portio, felicissimâ, ad quam vocata est, sorte dignior effici omnimode satagat, Ecclesia Christi sancta et immaculata semper et ubique sibi censuit evigilandum: atque amans hujusmodi sollicitudo providissima, ab summo Petri fastigio in praesules cunctos transfusa, inter quoque filiorum innumeros, doctrinis aeque ac pietate percelebres excitata est (1), qui, ut grande ac sanctum scientiae et ministerii paroecialis aedificium sanctificetur adhuc, inque ovium salutem magis magisque omnibus luceat, gloriosis affatim laboribus insudarunt; quorum praeclaris inhaerere vestigiis connitentes, Sacerdotis aeterni Christi JESU humiliter invocato nomine, ad qualescumque nostras animadversiones progredimur.

(1) S. Augustin. *ad Dardan. epist.* 187. *edit. Maur.*

ILLUSTRATIONES.

(*A*) Quam sit inseparabile unitatis sacramentum, et quam sine spe sint, et perditionem sibi maximam de indignatione Dei acquirant, qui schisma faciunt, et relicto Episcopo (*nempe S. Cornelio Rom. Pontifice in schismate Novatiani*) alium sibi foris pseudoepiscopum constituunt, declarat in libris Regnorum Scriptura divina, ubi a Tribu Juda et Benjamin decem Tribus scissae sunt, et relicto Rege, alterum sibi foris instituerunt: *et indignatus est*, inquit, *Dominus in omne semen Israel*, *et dimovit eos*, *et dedit eos in direptionem.* S. Cyprianus *Epist. ad Magnum.*

(*B*) Maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem per successiones Episcoporum provenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sibi placentia, vel per vanam gloriam, vel per caecitatem et malam sententiam praeterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique Fideles: in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio. S. Ireneus *Adv. Haereses lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 14.

Edant (*haeretici*) origines ecclesiarum suarum: evolvant ordines episcoporum suorum. Qui estis, quando, et unde venistis? Quid in meo agitis non mei? mea est possessio: olim possideo, prior possideo: ego sum hae-

res Apostolorum. Tertullianus *de Praescriptionibus*, *capp.* 32. et 33.

Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, et in ordine illo Patrum quis cui successit videte: ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae. S. Augustinus in *Epist. Fundamenti.*

Caput in alia membra influit dupliciter; uno modo, quodam intrinseco influxu, prout scilicet virtus motiva et sensitiva a capite derivatur ad cetera membra; alio modo, secundum quamdam exteriorem gubernationem, prout scilicet secundum visum et alios sensus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus. Interior autem influxus gratiae non est ab aliquo, nisi a solo Christo, cujus humanitas, ex hoc quod est Divinitati conjuncta, habet virtutem justificandi; sed influxus in membra Ecclesiae, quantum ad exteriorem gubernationem, potest aliis convenire, et secundum hoc aliqui alii possunt dici capita Ecclesiae...... differenter tamen a Christo. Primo quidem, quantum ad hoc, quod Christus est Caput omnium eorum, qui ad Ecclesiam pertinent, secundum omnem locum, et tempus, et statum; alii autem homines dicuntur capita secundum specialia loca, sicut Episcopi suarum Ecclesiarum; vel etiam secundum determinatum tempus, sicut Papa est Caput totius Ecclesiae, scilicet tempore sui Pontificatus, et secundum determinatum statum, prout scilicet est in statu viatoris. Alio modo, quia Christus est Caput Ecclesiae propria virtute, alii vero dicuntur capita in quantum vicem gerunt Christi secundum illud *propter vos in persona Christi 2. ad Corint.* 10. S. Thomas 3. *Part. qu.* 8. *art.* 6.

Ut omnium sit una regula Fidei, et una morum et rituum disciplina, datum est magno illi Apostolorum Principi et successoribus ejus sedere in cathedra lenitatis, tamquam in magisterio veritatis, quod poni omnino necessarium fuit in uno, tum ut schismata tollerentur, quae emersura erant inter fideles, tum ut fideles ipsi scirent utique ubi morum, ubi Fdei, ubi veritatis regula, facile, prompte, et assidue quaereretur. S. Hieronymus *Contra Jovinian. lib.* 1. *cap.* 4.

Jam de hac causa duo Concilia (*Carthaginense et Milevitanum*) missa sunt ad Sedem Apostolicam : inde etiam Rescripta venerunt. Causa finita est : utinam aliquando finiatur error. S. Augustinus *de damnat. Pelagii et Caelestii serm.* 131.

(C) Magnum et indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem apud Apostolicam Sedem consistere fontem, nullus ambigere possit, de quo Rivuli prodeunt affluenter, universum largissime irrigantes orbem Christianorum, cui etiam in honorem beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, quae omnino et sollicite debent, maxime vero justeque ab ipso Praesulum examinari Vertice Apostolico, cujus vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid, quamvis in remotis, vel in longinquo positis ageretur Provinciis, non prius tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almae Sedis vestrae fuisset deductum, ut hujus auctoritate, juxta quae fuisset pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent ceterae Ecclesiae, velut de naturali suo fonte, praedicationis exordium; et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptae maneant fidei sacramenta salutis. *Epist.*

Episcoporum Numidiae, Byzaceni, et Mauritaniae ad Rom. Pont. Theodorum, quae accepta et perlecta fuit anno 649. in Concilio Lateranensi sub ejus successore S. Martino I.

(*D*) Desine quaeso, ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere praecipe, sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis quae sunt Ecclesiae concredidit; et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinae, ita et Tu cave, ne quae sunt Ecclesiae ad te trahens, magno crimine obnoxius fias. Hosius Cordub. Episcopus *in Epist. ad Constantium Augustum*, apud S. Athanasium *Epist. ad solitar. vit. Agentes ex recens. Nanii edit. Paris. an.* 1627.

Solvimus quae sunt Caesàris Caesari, et quae sunt Dei Deo. Tributum Caesaris est, non negatur: Ecclesia Dei est, non debet addici, quia templum Dei jus Caesaris esse non potest. Quod cum honorificentia Imperatoris dictum nemo negare potest; quid enim honorificentius quam ut Imperator filius Ecclesiae esse dicatur? Imperator enim intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est; bonus enim Imperator quaerit auxilium Ecclesiae, non refutat. S. Ambrosius *Epist. ad Valentinianum*, *ex Tricaletio Tom. 3. cap. 16. etc.*

(*E*) Dracones, inquis, me mones pascere, et scorpiones, non oves. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos: sed verbo, non ferro. Quid tu denuo usurpare gladium tentes, quem semel jussus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic: Converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo et ipse: tuo forsitan nutu, etsi non tua manu evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret et is, dicentibus Apostolis: Ecce gladii duo hic, non respondisset Dominus: satis

est ; sed nimis est. Uterque ergo Ecclesiae, et spiritalis scilicet gladius, et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia : ille vero et ab Ecclesia exerendus est. Ille Sacerdotis, is Militis manu, sed sane ad nutum Sacerdotis et jussum Imperatoris. S. Bernardus *De Consideratione lib. 4. Cap. 4. ad Eugenium Papam III.*

(*F*) Sunt qui suorum quidem lenissimi judices sunt, aliorum vero rigidi et exacti censores, ut hic quoque veritatem mendacio celent. Ubi sunt qui vibices exprobant nobis, cum vulneribus ipsi afflicti sint? qui offensas nostras exagitant, cum turpiter ipsi labantur? qui maculis nostris gaudent, cum ipsi volutentur in coeno? qui festucas nobis proferunt, quae nec magnum dolorem insidentes afferant, et facile pelli exsufflarique ab oculis possint, cum ipsi interim trabibus excaecentur? S. Gregor. Nazianz. *Orat. 2. de Pace.*

Si quis dicat improbos esse aliquos, et incaute bonum ab his everti, negligi honestatem, haberi despicatui convenientem clericis disciplinam, is secedendi sufficientem causam non excogitavit. Neque enim Petrus aut Andreas aut Joannes propter Judae nequitiam submoverunt se a reliquo Apostolorum choro, neque ob illius pravitatem, alius quisquam Apostòlus hanc ad recedendum ansam arripuit, neque quominus obediret Christo ullo modo impeditus est; sed documentis Domini obsequuti aemulabantur piatatem ac virtutem, non autem ad imitandam illius perversitatem adducebantur. Tu vero meditans defectionem ac Spiritus Sancti secessum excogitans, presbyterorum negligentias aut veras, aut a te confictas praetendis, facisque, ut illata illis calumnia quasi quoddam velamentum sit et tuae pravitatis et tuae in laboribus segnitiei, quos pro virtute debueras subire. S. Basilius M. *Constit. Ascetic. cap. 21.*

EPISTOLA III.

Vocationis praeludia, et primaeva candidandorum institutio.

Nemini cito imponendas manus, Timotheo suo praecipiebat magnus gentium Apostolus (1) (*A*), hanc principem, quae usque adhuc Ecclesia patitur, malorum caussam equidem praescius futuram, plurimos nempe, ad animas in viam salutis dirigendas, facili nimium adscensu, cooptari. Atque utinam de pluribus haud conqueri ac fere ingemiscere debuissemus, *qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potius, quam assequuntur* (2)! Porro istiusmodi dehonestamenta, dum *curritur passim ad sacros ordines, et reverenda ipsis quoque angelicis spiritibus ministeria apprehendunt homines sine consideratione* (3), ex obvia praesulum indulgentia saepius repetenda, in Ecclesiae septa, communius irrepere supra quam cuique credibile, fatendum est. Adolescentulos, qui vix loqui didicerint, clericali habitu parentum duntaxat voluntate insignitos, quos ultro pinguiorum spe beneficiorum, ac dignitatum ambitione, ad bene beateque vivendum, blandiunt jugiter et alliciunt, habitudine quasi ac necessitate, quo vero tendant veluti nescientes, ad regale Sacerdotium, aetate praesertim hac nostra, evehi conspicimus (*B*). *Nolite as-*

(1) 1. *Tim.* 5. 22.

(2) S. Greg. M. *Pastor. lib.* 1. c. 1.

(3) S. Bernard. *de convers. ad cler. c.* 29.

cendere, non enim est Dominus vobiscum (1): *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo* (2): *venerunt ad se quos voluit ipse, et venerunt ad eum* (3). Quamobrem sicut ab Ordinariis cautissime semper atque prudenter in re tanta incedendum; ita et pastoribus, dum vel ex altari, vel ad cathechesim, vel privatim de filiorum educatione parentes admoneant, pro hoc uno et ecclesiae et rei publicae bono saepissime instandum est, ne videlicet ad statum vitae eligendum ulla unquam domesticorum solicitatione pueri preveniantur, necnisi aetate congrua, et quum sufficienti rationis usu praepolleant, de sui status electione sciscitentur, ut *quae sit voluntas Dei* (4), ex industri aliquantula praeparatione, ac praeambulis indiciis probe intelligant atque dejudicent.

Assiduo orationis praesidio se primum communiat optimae spei adolescens: atque ut notam faciat sibi viam, in qua ambulet, usque ad Altissisimum levet animam suam (5). Quoniam vero, Deum ore proprio arcana promentem sua, nulli praesumere est, a tumultu elongetur fugiens (6), ut eum luminum pater ducat in solitudinem, et loquatur ad cor ejus (7), ubi audiet quid oporteat facere (8) (*C*). Quos proinde sibi a confessionibus praefecerit, ac bene insuper moratos et sapientiores amicos, praesertim vero ecclesiasticos viros longaeva virtutum exercitatione probatos, humiliter consulere non desinat, ab eorum ope ac consilio rem serio consideraturus. Amicos, inquam, et conscientiae suae moderatores: quoniam pa-

(1) *Numer.* 7. 17.
(2) *Hebr.* 5. 4.
(3) *Marc.* 3. 13.
(4) *Ephes.* 5. 17.
(5) *Psalm.* 142. 6. 8.
(6) *Psalm.* 54. 8.
(7) *Osee* 2. 14.
(8) *Actu* 9. 7.

rentes ac consanguinei, si unicus praesertim candidandus, vel major natu, e generosa forte aliqua, seu praedivite familia, raro, aut numquam a consiliis habendi; quinimo, si quoquo modo aversentur, nam *ubi spiritus Domini*, *ibi libertas* (1), nullatenus, Deo vocante, auscultandi: quum et magnus Chrysosthomus, suadente quoque ejus amico Basilio, genitricis suae monita, et flebiles querimonias nihil moratus, in sortem Domini festinus intraverit (2).

Quoniam vero plurimos decipi, divinam prorsus putantes vocem, quae hominis tantum verba fuerint, atque itidem quae vere sit a Deo, humanam facile existimantes, innumera praemonstrarunt exempla; ut a fucatis rite dignoscantur legitimae, pluribus vocationes indiciis plerumque designandas, patres atque doctores vel ore unanimi censuerunt, quae inter, potiora quaedam connumerabo.

I. Timor Domini sanctus, et probatissima morum honestas, seu potius absque nube vel macula candor perspicuus, quo mentis corporisque puritatem cuivis periculo quidquid exponere queat, penitus extrudatur: et inter flluxas saeculi vanitates, curarum mundi omnium naturalis quaedam abjectio atque fere contemptus (*D*).

II. Intima quaedam propensio, qua dulciter fortiterque ad sacerdotale ministerium impellatur animus, in oratione, et in qualibet pietatis exercitatione diu costans ac perseverans, adeo ut anxiae voluntatis dubietates, et innocuus timor, quibus antea videretur quis haerere et affligi, acquiescant satis, et aliquando evanescant; qua plane propensione ad omnia, quae Dei cultum Ecclesiaeque suae famulatum respiciant, dilectio verax et studiosa desideria excitentur ac ferveant.

(1) 2. *Corinth.* 3. 17. (2) Chrysost. *de Sacerd. lib.* 1.

III. Quia vero hac in re haud difficile saepissime hallucinari, quandoquidem vaga ac prorsus inania vitae perfectioris praeludia, et naturalis quaedam ad optimam frugem inclinatio, tamquam verae signa vocationis interdum a pluribus apprehenduntur; serio eapropter investigandum, an cupidus et impatiens in sanctuarium permeandi ardor subtilioribus cupidinum adminiculis occulte ac molliter adeo fulciri videatur, ut nempe quis, nisi directe, saltem secundario, Ecclesiae bonis inhiet capessendis, ut spiritu ambitionis subaestuante, honor, dignitas, primique aucupentur accubitus, ut activae impatientia vitae tedioque laboris quieta et jucunda protrahatur aetas, ut tandem quaerantur *quae sua sunt*, *non quae Jesu Christi* (1). Quia in sortem evocato domesticorum Dei, divitiis, honoribus tamquam stercore reputatis, egestatem, labores, aerumnas, amariorem calicem sibi lucrum fore arbitrato, *Dominus pars haereditatis* (2); ideoque ei tantum uni fideliter inserviendi, suique in Ecclesia regni pro viribus ampliandi, atque animabus in salutis tramitem toto animi annisu perducendis, simplex ac purior voluntas, et intentio rectissima praeferenda est.

IV. Hinc, signorum omnium veluti princeps, fervens in Christum JESUM elucet amor: quum namque sponsum vere diligimus, et dilectam simul sponsam ejus Ecclesiam, et quicquid insit ei honoris et gloriae, sincero deperimus affectu; non idcirco prius dominici cura gregis Petro committitur, quam ipse repetita confessione suum Christo trina vice interroganti adstruat amorem.

(1) S. Bernard. *Declam. in Ev. Ecce nos. Philipp.* 2. 21.

(2) *Psalm.* 15. 5.

V. Ingenium insuper, nisi praeacutum ac felix, aptum sane atque solers, idemque docile et impigrum: ad finem quippe media semper coaptare divini consilii est. Super gentes et regna Jeremias constituitur, quumque se vellet inde subtrahere, *ecce nescio loqui, quia puer ego sum, misit Dominus manum suam, et tetigit os meum; et dixit Dominus ad me: ecce dedi verba mea in ore tuo* (1).

VI. Cum denique penes Episcopos, eorumque gerentes vicem, Relligionis cultus et perpes Evangelici ministerii successio apprime reponantur, electionis ab iisdem et sanctae vocationis indicium utique auspicandum esse, celebriorum Ecclesiae patrum, jussu praesulum ad sacerdotale munus evectorum, illustriora commostrant exempla. Verum *oportet et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt* (2), *ut dignus et idoneus publico judicio et testimonio comprobetur* (3). Cujusmodi sane comprobationis, in bannis ternisque denunciationibus, quae in eligendorum paroeciis de more fiunt, praetiosum usque adhuc pervetustae et immaculatae disciplinae monimentum, quoad ministrorum electiones, conspicimus. Hisce plane, quae divisa dubium saltem incertumque, et in unum collecta tutum quidem et plausibile vocationis omen praesignare videntur, quem, veluti benedictionibus dulcedinis praeventum noverimus, fiducialiter ad altare procedentem, libenti animo amplectimur et commendamus. Atque isthaec de cunctis generatim in sortem Domini cooptandis sat attigisse.

(1) *Jerem.* 1. 6. 9.
(2) 1. *Tim.* 3. 7.
(3) S. Cyprian. *Epist.* 64.

Plura enimvero ad animarum regimen ulterius desiderari, Antistes optime, exploratum habes. *Longa debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiae* (1). Conscensum namque presbyteratus culmen, veluti Lydium lapidem permultis evadere, experientia didicimus. *Quemadmodum fit, ut metallicas materias ignis probet, ita et Cleri exacta probatio mortalium animos secernit atque internoscit: ac siquis est vel iracundus, vel pusillanimis, vel gloriae appetens, vel alio quovis animi morbo obsessus, id omne detegit, ac latentes statim morbos denudat, nec denudat solum, sed etiam tum asperiores, tum impotentiores reddit* (2). Quod si primo dignitatis limine ullus forte corruerit, *quis in coeno fontem requirat* (3)? Num *heri profani, hodie sacrorum antistites, veteres vitio, pietate rudes et recentes* (4)? Equidem vix ad aras perventum, saeculari nedum pulvere satis excusso, paucisque e moralibus tantum disciplinis fere delibatis, *non ut meliores, sed ut ditiores, non ut sanctiores sed ut honoratiores simus* (5), ad bravium extorquendum certatim currimus multi. *Dux exercitus non nisi labore et sollicitudine expertus eligitur; quales animarum duces esse debeant, qui ad culmen immatura cupiunt festinatione conscendere* (6)! Novimus utique, *non oportere prudentiam aetate metiri, neque senem canitie probare, neque juvenem arcendum ab hujusmodi ministerio* (7); at etiam *ne parochialis ecclesiae regimen*

(1) *C.* In Sacerd. *Dist.* 61.
(2) Chrysost. *De Sacerd. lib.* 6.
(3) S. Ambros. *L.* 2. *Offic. c.* 1.
(4) Nazianzen. *Orat.* 21.
(5) S. Prosper *Lib.* 1. *de Vit. Contempl. c.* 12.
(6) S. Gregor. M. *Epist.* 114. *alit.* 116.
(7) Chrysost. *Loc. c. lib.* 2.

suscipiat nisi qui scientia et moribus commendatus existat (1), jure sacro sancitum reperimus; quinimo, etsi pollentem virtute, neminem tamen, *nisi coactum* (2), animarum curae praeficiendum, exemplis patrum, ac juris ejudem placitis aperte instruimur. Juvenculos presbyteros aliosve in sacris vix constitutos, qualibet vacante paroecia, passim ad eam adsequendam concursare, commune est: ne quaeso moreris, Praesulum vigilantissime, prohibe, nec nisi te vocante patiaris accedere. Esto, quamplurimis, re domi angusta, provide et cito subveniendum, eosque omni caritatis nisu excitandos atque fovendos; vicariam ideo pastoribus operam impendentes suam, honestae interea substentationi prospiciant, simulque paroecialis regiminis tyrocinia citius instituentes, certiora vitae et disciplinae specimina studeant exhibere; ac si quando ad ipsa utiliter obeunda munia erudiantur et convalescant, ex te prorsus jubente Deo, sic currant, ut comprehendant (3).

Quid exinde non vocatis, scientia rudibus ac pietate, in domum Domini ad ejusque pascendas oves sese temere inmiscentibus, extimescendum, aperte liquet. Si enim, *ego sum ostium ovium*, ait Christus, *per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet*, et *qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro* (4); si vero alia ex parte *sufficientia nostra ex Deo est, qui et*

(1) *Cap.* Cum in cunctis. *De elect.*

(2) S. Greg. M. *Pastor. P.* 1. c. 7.
S. August. *de Civit. Dei l.* 19. c. 19. S. Isid. *l.* 3. *Sentent. c.* 34. *C.* Si quemquam *Cap. de Ep. et Cler.*

(3) 1. *Corint.* 9. 24.

(4) *Joan.* 10. 3. 7. 9.

idoneos nos fecit ministros novi Testamenti (1), et *qui honoris est auctor ipse fiet administrationis adjutor* (2), quonam pacto, si qui furtim ausint obrepere, et abs Deo ministerium sibi arrogarint, Sanctificantis itemque Sacramentalis, quae eidem innititur, gratiae plenitudinem consequi praesumerent, *quasi Deus necesse habeat praestare etiam indignis quod spopondit: quis enim permittit permansurum id, quod tribuerit invitus? non enim multi postea excidunt? non a multis donum illud aufertur* (3)? Viderint quaeso, omne spirituale aedificium, coelestis auxilii fulcro sublato, penitus corruat, necessum fore. En igitur caussa verior, qua plurimos guberniis animarum subfectos, aut saepius in praeceps lapsos fidelibus quoque maxima praeseferre offendicula, aut etiamsi humana quadam virtute officia quoquo modo expleverint sua, nil tamen parumve gregi in vitae semitam deducendo proficere, ultro conspicimus. Heu miseros, qui, *regnaverunt et non ex me* (4), ab summo Judice postremo audituri, aversa gradientes via, animae quidem salute periclitantur!

Haec dolenter inscribimus, non ut contristare quempiam aut deterrere videamur, sed si quis fortasse Deo nolente vim foribus intulerit sanctuarii, ut salutaria, dum lucem habeat, propinare sibi medicamina, et ante judicium parare sibi justitiam queat (5). Equidem, quam ex Canonum severitate et veteri Ecclesiae disciplina consuluerint patres reparationem, referre piget: *qui in ovile ovium non per ostium, sed aliunde ascendit, honorem, in quo deliquit, penitus derelinquat* (6). Attamen, quoniam pu-

(1) 2. *Corint.* 3. 5. 6.

(2) S. Leo *Serm.* 1. *in die assump. suae.*

(3) Tertullian. *de Poenitent. n.* 6.

(4) *Osee* 8. 4.

(5) *Eccli* 18. 19.

(6) S. Gregor. M. *Lib.* 9. *Epist.* 40.

rior ac sanctior, quae aureis Ecclesiae saeculis effloruit disciplina, in tanta temporum morumque eversione adhuc frustra desideretur, id modo nolumus generatim asserere, ne quoque rigidioris videamur coercitionis castra tenere; sed prae delinquentis conditionibus, et locorum circumstantiis, ut ab Episcopis judicium et remedia pro opportunitate quaerantur, consulere malumus. *Redi ad conscientiam tuam, et exige de te poenas* (1), verbis potius alloquerer Augustini siquem hujusmodi suspicarer labe faedatum; in Deum, inque te ipsum peccasse noveris (2); ideoque de offensa in summum cunctorum moderatorem sinceris lacrymis deflendum jugiter, et omni placationis nisu exoranda venia est. In te autem *exige de te poenas. Qui incaute expetiit, adeptum se esse pertimescat* (3); *vides quem timorem tibi incutere nitor? non qui tibi sit laqueus desperationis, sed qui spem tibi acquirat beatitudinis* (4). Quo nempe salutari timore, sanctior in dies atque ferventior ad quaeque ministerii ac pietatis officia semper et ubique animus dirigatur; proinde ut qui ambitionis gratia postulaverit, modestia ac humilitate fere omnibus subjiciatur: qui comodioris vitae, et, quod deterius, avaritiae caussa Christi inopumque patrimonia quaesierit, voluntaria quoad etiam licita rerum privatione, eleemosinis, ceterisque congruis piorum operum exercitationibus nefarias ejusmodi cupiditates pro viribus cohibere satagat; et moribus omnino suis reformandis, si laxioribus incoeperit, et assiduis sacrarum facul-

(1) *In Psal.* 140.

(2) Segner. *Paroc. istruit. c.* 4.

(3) S. Gregor. M. *Pastor. in Prol.*

(4) S. Bernard. *Epist.* 87. *ad Oger.*

tatum studiis, hisce siquando defuerit, omnimode intendat, atque inmoretur. Simoniacae labis ab Etruria nostra probra exulasse, popularibus praesertim suffragiis ad paroecias conferendas sapienter ablatis, ideoque nullum prorsus sacrilego hujusmodi foedatum crimine, utinam recte arbitremur! utinam vero, quemadmodum a muneribus manuum, ita et obsequiis etiam et lingua innoxios omnino datum reperire, et effatum illud Praesulibus cunctis identidem obversetur, quo S. Bernardus Eugenium nostrum olim praemonuit: *pro quo rogaris, sit tibi suspectus; qui autem pro se rogat, jam judicatus est* (1) *(E)*! Ceterum, si tandem aliqui, et quidem plures crediderim, aut scrupulorum anxietatibus torqueantur, vel dubiis fere animis haereant, an recto undecumque gressu primum in sancta permearint, aureo Apostolorum principis documento sedulum omnino gerentes morem, acquiescant satis, et magnam sibi spei caussam ediscant adfuturam: *fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis* (2) (*F*).

Jam vero, si quae hactenus brevi calamo perstrinximus, ad praxim conferantur, legitimae in sortem Domini vocationes rarae admodum videri facile possunt. Attamen quia gregem suum Pastor aeternus non deserit, plerosque divinitus accersitos spe bona confidimus. Sed magna provisione opus esse, ne talenta elargita fodiantur in terra, quotidiana ostendunt exempla. Qui *divinam voluntatem inquirentes, abdicatis omnibus affectionibus suis, animum suum a propria voluntate prius exactum, et in nullam partem magis vergentem, Deo per orationem ex-*

(1) *De Considerat. lib.* 4.

(2) 2. *Petr.* 1. 10.

hibentes, *cognitionem divinae voluntatis perceperunt* (1), eamdem pro viribus satagant custodire. Etenim eximiae indolis adolescentes pluribus ad Dei ministerium indiciis auspicatos, brevi, turpiter, ac saepius quam vix credi possit, Ecclesiae septa dereliquisse et vidimus, et doluimus. *Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus* (2)! Plurimos sibimet ipsis coeca ac sopita parentum socordia et superiorum negligentia forte relictos, nil parumve studiis inhaerentes, vel alienis, pravorum interdum ab instituto aberrantes usos consuetudine, nitidiori vestium cultu in compita quavis hora posilire, sese turmis ludentium et baccanaliorum deliriis inmiscere, theatra, profanasque frequentare choreas, proh dedecus! videre est; mirum, si in clericali famulatu frigescentes, mundano propediem sordescant pulvere, et vitae sequioris semitam arripientes, tandem vocanti Christo fidem dectrectent? aut, si qualibet eos urgente caussa, in sancta quoquo modo properarint, datam sibi gratiam per manuum impositionem haud facile queant proinde resuscitare (3)? Praesulum eapropter, itemque propinquorum ac praeceptorum curas et operam evocamus, ut in adscitos juvenculos jugiter evigilent atque prospiciant, eosque in tot saecli periculis constitutos ad immaculata sanctae vocationis tyrocinia percurrenda fideli veluti manu praeducant, foveant, tueantur, *quia et cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videamus* (4).

(1) S. Joan. Clim. 1. *Grad.* 26. *de Discret.*

(2) Quintilian. *Rhet. in Proem. lib.* 1. *c.* 3.

(3) 2. *ad Timot.* 1. 6.

(4) S. Gregor. M. *Hom.* 20. *in Evang.*

Sapienti itemque diuturna pietatis ac prudentiae commendatione confessario probatissimo omnimodam animae suae curam primum committat in clericorum coetum cooptatus puer: ejusque ab ore nutuque pendens omnino, *adolescentiam nulla sorde commaculet*, *ut ad altare Christi quasi virgo procedat* (1). In quo sane cuncti verae obedientiae caracteres, nempe humilis, coecae, alacris, et generosae, ita necesse est praefulgere, ut si vel unus abfuerit, totius quidem spiritalis aedificii subversio timenda. Alteram insuper primaeve veluti probationis conditionem ab servandis rite *interstitiis*, universali ac perpetua Ecclesiae disciplina sancitis, maxime pendere arbitramur (*G*). Nihil aetate hac nostra frequentius, quam facili ab Ordinariis super interstitia, et ipsorum praesertim commendationibus ab suprema Petri cathedra super aetatem quoque, et *extra tempora* obtenta dispensatione, raptim ad sacerdotale culmen ascendere. Non me quidem fugit, *si necessitas aut Ecclesiae utilitas judicio Episcopi aliud exposcat* (2), dispensationes ejusmodi quandoque non denegandas; verum aut nullas reapse aequas extare caussas, aut plerumque futiles, ad consolationem saepius parentum tantummodo acceptas, multorum precibus, qui *manibus ac pedibus replant*, *si quo modo tandem aliquando se se ingerere queant in patrimonium Crucifixi* (3), nequaquam ambigimus. Eia, agite, Praesules Christi: *obsistite talibus ordinationibus*: *obsistite superbiae et arrogantiae* (4). Hinc enim, veluti e fonte lutulento, turpem rei sacrae ignorantiam, et ad propria

(1) S. Hieron. *Epist.* 4. *ad Rust.*

(2) *Conc. Trid. sess.* 23. *de Reform. c.* 11.

(3) S. Bernard. *de vit. et mor. Cleric. c.* 5.

(4) Zosimus P. *ad Esich.*

exequenda munera culpabilem prorsus ignaviam in quosdam *momentaneos* presbyteros (1), uti eos Hieronymus vocitat, ultro citroque promanare deprehendimus; quia, cum praemature ad ordines promotis opportuna temporum spatia necessario subtrahantur, nequeunt revera et in assiduo studiorum labore, et in habitudine disciplinae satis inmorari *(H)*: quandoquidem vero, presbyteratus honore donati, ejus quod erat in votis compotes efficiantur, quasi metam attigerint, nolle, vel quotidiano plurimorum defectu, suspicandum est.

Unum profecto, quo divinae vocationi satis custodiendae feliciter clerici instituantur, fatentur omnes. Jamque, Antistes optime, de Seminariis me verba facturum intelligis. O vere aurea Ecclesiae tempora, quum bonum erat habitare fratres in unum, et castae Episcoporum domus cunctis fiebant clericis pretiosum scientiae et caritatis diversorium: quum prae ipsis praesulum oculis, habentes jugiter qui panem frangeret eis, fideliter invicem nutriebantur, sancte ad ministeria exsurgebant! Quoniam vero, ingruentibus gentium et saeculorum vicissitudinibus, praeclara ejusmodi virtutum claustra evanuerint, eisque Seminaria nostra postmodum subfecta sint, hisce nil sane aut aptius aut utilius juvenum animis efformandis, eisque ad Hierarchiam evehendis adinveniri posse compertum est. Jure ideo meritoque, veluti pupillam oculi, necessaria isthaec Relligionis domicilia suspiciunt Antistites omnes, et paterno plane amore depereunt; adeo ut et ea fere quotidie accuratius invisere, de singulis adolescentium moribus studiisque sciscitari, diligentiores comiter fovere, animos

(1) *Epist.* 83. *ad Ocean.*

tardioribus addere, arguere negligentiores, praeceptoribus quoque institutionis rem rationemque praesignare, suoque omnia penitus, seu verius Christi spiritu vivificare, in deliciis habeant. Optima haec quidem et omnium commendationibus ac votis utique prosequenda. Attamen, ut malignantium quoque nescio quorum inanes querimoniae, qui tam bene auspicatas aedes ad rem literariam exigue prodesse, ad mores interdum offendicula ponere, audacter deblaterant, penitus conticescant, quaedam ulterius boni quique desiderarent. Utinam plurimi, qui humanioribus tantum literis addiscendis, e quolibet saecularium coetu Seminaria petunt, iisdem omnino prohiberentur: vel si ejusmodi, ut ajunt convictoribus, aut celebritatis, ut illustrioribus nobilium collegiis Seminaria videantur aequiparari, aut quaestus persaepe gratia, aditus pateant, ab ecclesiasticis candidandis, quod alicubi constitutum provide novimus, seorsim penitus degant! Etenim si quidam quandoque abusus ibidem irrepere concedantur, ab ipsa plane laicorum unaque clericorum consuetudine ac promiscuitate, eosdem utcunque promanare necessum fateri; ac exinde quae suboriantur incommoda, nemo non videat. Hinc nequaquam omnes indiscriminatim ephebi, utpote qui talari veste ac tonsura insigniti, sed qui dumtaxat pluribus ad sortem Domini indiciis praefulgeant, ad sacra haec hospitia cooptandi. Quoniam vero *Spiritus ubi vult spirat* (1), et *ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus* (2), siqui forte, atque haud paucos certe crediderim, benedictionibus coeli desuper ad ministeria divina praeventi e pauperculis ac humilibus familiis inveniantur, eos plane

(1) *Joan.* 3. 8.

(2) 1. *Corinth.* 1. 28.

volenti animo, utique gratuito, suscipiendos, omnique caritatis annisu fovendos, operae praetium existimamus. Aliquot immaculatae indolis, haud dubie ad clerum divinitus accersitos, novi egomet pueros, quos re domi angustissima, undecumque rejectos, fabrili tandem officinae excolendae turpis coegit egestas. Honestas ad haec excusationes, census nempe admodum exiguos, locorum angustias, aliaque id genus praesto esse non dubito. At nisi tanti e praedivite aliquorum Praesulum mensa supersit, ut ex ea pauperioribus clericis possit opitulari, plura, hercle, a simplicium beneficiorum reditibus, quorum rectores aliquando Ecclesiae Christi inutile pondus, aliisque e re sacra collectitiis in idem subventionis opus coacervanda supererunt; atque, cum aetate praesertim hac nostra, sumptuosa Seminariorum aedificia vel nimium succreverint, domesticis aerumnis diu assueti adolescentes quolibet vitae commodo satis gaudebunt. Insuper sicuti nullus de rectoribus ac magistris, quorum plerosque doctrina, eruditione, pietate conspicuos promerita laude prosequimur, quicquam ausit criminari, ita unum esse, de quo forte quis haud injuria queratur, aperte subjiciam: nimirum praefectos, uti vocant, de more imberbes, ac ex iisdem interdum alumnis animosiores, nil reapse nisi pedagogos, generatim delectos. Eccur, quaeso presbyteri aetate, prudentia, ac sacra disciplina spectabiles non assumendi, qui, ut multiplici quoque sarcina praeceptores exonerent, cantus, ritus, caeremonias, et unicuique ordini spectantia numera ephebos practice edoceant, quo et ipsi ad ea, quae decent sanctos, ocyus inflammentur, unaque a ludicris quibusque nugis utilius avertantur, *cum adolescentium aetas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, nisi a teneris annis ad pieta-*

tem et religionem informetur (1)? Ad hoc enim Seminaria potissimum instituta, ut vel a prima aetate spiritu vere ecclesiastico nutriantur juvenes et coalescant, cui plane bono eorum qui praesint, et administrorum omnium curae ac sollicitudines undequaque dirigantur necesse est.

In idem sane objectum nuper reclusae, uti vocitant, ecclesiasticae Academiae cospirare viderentur, nisi de iis, magno cum plausu primum exceptis, mox visis paulatim languescere, multi adhuc, dispari quidem sententia, decertarent. Nonnullis enim, quippequae a Seminariis nonnisi nomine videantur differre, prorsus inutiles, plurimis autem habentur propemodum necessariae. Hi tamen, pauculos tantum libros, eosque ad facultates inibi respective excolendas classicos utique ac probatissimos candidandis praesignari, ceterorum vero quorumcumque eosdem prohiberi lectione, apprime cuperent. Gnaros proinde ac selectissimos, stipendiis et honoribus affatim honestandos, binos profecto ad singulam disciplinam, exigerent praeceptores, qui demandatae sibi facultatis tradendae intra duos annos cursum explevissent; adeo ut philosophicis primo institutionibus, secundo positivae itemque scholasticae, morum theologiae tertio biennio sedulam assiduamque navantes operam, sexennali emenso studio, bravium juvenes apprehendisse gauderent. Atque hac insuper ratione, ut dum magistrorum unus sub initio scholastici cujusque anni suaemet facultatis auspicaretur exordia, ad suam alter, elapso incoeptam anno, continuandam absolvendamque progrederetur; secus vero, adolescentes in Academiam primum cooptatos, eo quod tractatibus plusculis anno jam praeterito traditis, ideoque pre-

(1) *Conc. Trid. Sess. 23. de Ref. cap. 18.*

liminaribus careant elementis, quin recta et consequenti adsequantur methodo, quas fere caesim et praepostero quidem ordine didicerint facultates, indigesta potius rerum congerie, haud levi prorsus difficultate, ac interdum, si tardioris praecipue minervae, irreparabili praejudicio, mentem incassum obumbrasse, arbitrantur. Aliis rursus minime probatum, in medio severiorum studiorum curriculo, intempestive ephebos evagari, si vel praedicatione, vel cathechesi publice compellantur e suggestu proludere: eos quippe amoeniori prorsus exercitatione, et naturali quodam ambitionis ardore allici adeo atque percelli dijudicant, ut flosculis foliisque ab oratorum pluribus, interdum pejus ab uno, hinc inde absque delectu plerumque captandis, pretiosa morentur tempora, scientiae sibi propriae solidioria negligantur, aut minori saltem ad eam sensu proficiant, et plurima, in sermonibus inexperta manu consarcinandis, dubioque ore dicendis, aucupentur vitia, quae ne diutina quidem possint emendatione aboleri. Satius idcirco existimantes, si subsecivis quandoque horis, proposito themate, eique satis excutiendo congrue, breviterque ratione praesignata, in privato rectorum et sodalium coetu, extemplo excitentur quoquo modo disserere, quibus postmodum ad meliorem frugem corrigantur et convalescant per rectores ac magistros opportune adnotatis, in postremo studiorum anno, semel aut iterum, publicum sui specimen, rectius maturiusque, daturi. Quia vero sinistro hac in re abripi judicio nolumus, ipsas Academias Episcopis relinquimus inscrutandas, ut prae dioecesis necessitate, opportunisque locorum ac personarum circumstantiis, eas ad commune bonum et accuratioris incrementum disciplinae, magis confovere, et in quibusdam sapienter itemque prudenter studeant rectificare.

Denique, quum ab primaeva adolescentium ad sacra properantium institutione pulchrior ecclesiae nitor maxime pendeat, in eam cautissime, diligenter quavis hora, ab omnibus, qui praesint, incumbendum (*l*): pueris vero vitae admodum laboriosae fortasse aliquando pertaesis, confortandis eorum animis speique augendae, illud utique repetendum: *Omnis disciplina, in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed moeroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiae* (1).

---

(1) *Hebr.* 12. 11.

ILLUSTRATIONES.

(*A*) *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*: 1. ad Tim. 5. 22. Quid est cito manus imponere, nisi ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinae, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici Ordinantem, qualis est ille, qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum qui rectum sectatur in eligendo Sacerdote judicium: ita gravi semetipsum afficit damno, qui ad suae dignitatis collegium sublimat indignum. Non enim in cujusquam persona praetermittendum est, quod institutis generalibus continetur: nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerit contra divinae legis praecepta collatus. S. Leo Magnus *Epist. ad Episcopos Afric. Provinc. Maurit. Caesariensis.*

O Timothee. O! Exclamatio ista, et praescientiae est pariter et caritatis. Praevidebat enim futuros, quos etiam praedolebat, errores. Quid est hodie Timotheus? nisi vel generaliter universa Ecclesia, vel specialiter totum corpus Praepositorum, qui integram divini cultus scientiam vel habere ipsi debent, vel aliis infundere? S. Vincent. Lirinen. *Commonitor.* 1. *n.* 27.

(*B*) Qui optat, honorat: qui praesumit, superbit. In illo verecundia, in isto petulantia apparet. Ille satagit, hic negligit. Ille mereri cupit, at hic ut debitum sibi repromittit. Ille sumit, hic invadit. Quem censeas digniorem, nisi emendatiorem? quem emendatiorem, nisi timidiorem? At ille praesumptor, cum sibi repromitteret,

securus scilicet, timere non potuit. Praesumptio, inverecundiae portio est: inflat petitorem, despicit datorem; itaque decipit nonnunquam. Ante enim quam debeatur repromittit, quo semper is, qui est praestaturus, offenditur. Tertullianus *De Poenitent. n. VI.*

(*C*) Bonum est aliquantisper etiam secedere, quemadmodum olim Moyses, et postmodum Hieremias, ac promte atque impigre ad vocantem accurrere, ut de Aarone et Esaia proditum est: dummodo utrumque pie fiat: alterum ob propriam infirmitatem, alterum ob vocantis potentiam. S. Gregor. Nazianz. *Orat.* 1.

(*D*) Domini timor expiatio est animi, secundum hanc Prophetae postulationem dicentis: *confige timore tuo carnes meas*, tanquam hac ratione, improba omnis et flagitiosa actio profugiat, ubi timor sedem fixit, quippe cum corporis membra eam ob causam ad turpia flagitia moverì nequeant, ubi timore, ceu clavis, confixa sunt. Quemadmodum enim qui corpus clavis transfixum habet, in ejusmodi cruciatu versatur, ut nihil valeat agere; sic qui timore Dei constrictus tenetur, non oculo ad ea, quae minime opus est, uti, non manus ad interdictas actiones movere, nihil quidquam denique, vel parvum, vel magnum, praeterquam conveniat, patrare potest; velut nempe suppliciorum, quae Deus comminatus est, cruciatu quodam, exspectatione transfigatur. S. Basilius M. *in init. Proverb. ex sac. parall. S. Joan. Damasc. lit. æ.*

Quid atrocius gehenna? at nihil ejus timore utilius. Metus quippe gehennae nobis regni coelestis coronam affert; haud secus ac in militis semper armati domo, non praedo, non effossor murorum, non quispiam alius ex his, qui ejusmodi facinora aggrediuntur, propius audeat apparere: timore sic animos obtinente, nihil liberalium

affectionum facile nobis accedit, sed omnes sese proripiunt, et fugam capessunt, timoris vi et potentia undique fusae et profligatae. Nec vero hoc solum lucri ex timore capimus; sed aliud quoque multo praestantius. Non enim tantummodo vitiosos affectus nostros propulsat, veram et omnibus virtutibus facilem ad nos aditum aperit. Nec enim quidquam perinde, tum peccata delet, tum auget virtutem et florentem reddit, atque perpetui timoris natura. Quocirca fieri non potest, ut qui in timore vivit, non recte aliquid agat, et vicissim qui in timore vivit, a recto aberret. Chrysosthomus *Orat.* 15. *de stat. elig.*

(*E*) *Videssis quae supra ex Tertulliano protulimus lit. B.*

(*F*) Limitem habemus Crucem Domini, qua, tanquam vallo, cingimur, et separamur a prioribus peccatis. Regenerati ergo in veritate, affligamur, resipiscamus, atque sanctificemur. Clem. Alexandr. *Pedag. P.* 3. *c.* 12.

(*G*) Ita sane, ut in eos tempora, a majoribus constituta, serventur. Nec cito quilibet lector, cito acolythus, cito diaconus, cito sacerdos fiat: quia in minoribus officiis si diu perdurent, et vita eorum pariter et obsequia comprobantur, ut ad Sacerdotium posthac, emensis stipendiorum meritis, veniant, nec praeripiant quod vita probata meretur accipere. S. Innocentius I. *Epist. ad Felicem Nucerianum Episcopum n. V.*

(*H*) Credita tibi gubernacula pervigil tene, et mentis tuae oculos per omnia, quae curae tuae videas injuncta, circumfer: in mercedem tuam profutura custodiens, et his, qui disciplinam Canonum labefactare nituntur, obsistens. Divinae legis sanctio veneranda, et Canonum specialius decreta serventur. Per commissas tibi provincias tales Domino Sacerdotes, quibus sola vitae et clericalis Ordinis suffragentur merita, consecrentur. Nihil gra-

tiae personali, nihil ambitioni, nihil redemptis permittas licere suffragiis. Examinentur diligentius, et per longum vitae tramitem disciplinis Ecclesiasticis, qui ordinandi fuerint, imbuantur. S. Leo M. *Epist. ad Anastas. Thessalonic. Episc. cap.* 3.

(*l*) Cum labore discimus, sine labore nescimus; cum labore strenui, sine labore inertes sumus. Nonne hinc apparet in quid velut pondere suo proclivis et prona sit vitiosa natura, et quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat? Desidia, segnities, pigritia, negligentia, vitia sunt utique quibus labor fugitur, cum labor ipse etiam qui est utilis, poena sit. S. Augustinus *de Civit. Dei lib.* 22. *cap.* 22.

EPISTOLA IV.

Primordialium Studiorum rudimenta.

Rectam juventutis institutionem, veluti certiorem non modo familiae, sed et rei publicae scatebram felicitatis, sapientiores philosophi atque legumlatores semper et ubique considerarunt. Etenim quae in molles puerorum animos semina instillaverit educatio proba et solicita, quum in convictione interiori ipsaque voluntate altius radices egerint, firma atque inconcussa permanere, et fortiori ac duraturo ligamine, quam ex metu, qui ab lege sit, habitualem veluti regulam fieri, et fungi legum viçe, vere dijudicant (1). Quamobrem in cunctos universitatis ordines influere prae ceteris, et spiritum plane ac generatim peculiarem quoque nationum diversarum caracterem praesignare, jure dictum. Quantum re vera prodesse queat, tutum ephaebis quod aggrediantur iter commostrare, iisdemque parva quidem et incorrupta bonarum artium elementa cito committere, ad uberrimam tamen fructuum copiam inde colligendam, nullus ignoret. Id autem de cooptandis in Ecclesiae famulatum adolescentibus meliori ratione dixerim, quos primulis rudimentorum veluti fundamentis eo magis rectius expedit atque decet innixos, quo facilius ab eorum defectu ac infirmitate aptiora interdum ingenia vel corruisse, vel parum aut nihili profecisse, e quotidianis periculis videre est. Nec igitur, Praesul optime, abs re duxi de exor-

(1) Plutarc. *in Lycurg.*

diis hujusmodi, antequam ad altiora progrederemur, quaedam praemittere, ut nulla in re, sicuti flagitas, defuisse, videamur. Quod si provectioribus, istiusmodi addiscendorum terminis laudabiliter praetergressis, supervacaneum id forte atque perosum, iis saltem, queis deducendorum ad literarum limina cura sit, haud inutile omnino fore confidimus.

Cogitanti mihi saepenumero, quis dudum tyronibus ad rem literariam excolendis mos invaluerit, duo hac in sparta potissimum incommoda, alterum nempe e praeceptorum defectu, alterum vero ab praestita docendi methodo promanantia, plerumque occurrere deprehendi. Illud primo haud satis improbandum, ad publica aeque ac privata magisteria juvenculos presbyteros absurdo sane consilio delectos, qui vix grammatices curriculum transgressi, et uno et altero classicorum cursim consalutatis, neque idiomatum rem indolemque, neque styli politioris cultum ac varietatem probe norint, quique ideo despicabili pedagoghorum nomine praenotati (1), addiscentium potius turmis adnumerandi, quam juventuti ad uberes latii fontes exaturandae, verius utcumque praeficiendi. Quamnam vero efformandis ingeniis animisque vim atque aciem iis inesse sperandum, qui liberalium disciplinarum scientia minime perpoliti, sive e domesticis officinis, sive ab agrorum cultu in gymnasiorum fastigia facili gressu commearunt, et quos ideo socialis vitae naturam, necessitudines atque mores nequaquam perscrutatos aut expertos, quae, quos, et quomodo edoceant, prae diversa addiscentium qualitate, ignorare necessum est? Cujusmodi sane abusus si cunctas persequerer caussas, non

(1) Verney *de re Logic. c. ult.*

una tantum in iis, qui praesunt, turpis parsimoniae cupiditas praesto esset, cum et aliae omnium oculis utrobique obversentur.

Optandum quidem, et quibus seminariorum et publicae scholae jus erit haud unquam satis enixis commendandum votis, ut pervigilem in praeceptoribus deligendis adhibentes curam, tum aetate provectum, tum in humanioribus studiis sapientiorem ac prudentiorem praeficiant: qui aurea veterum volumina nocturna versarit manu atque diurna: qui Romanae ac Italicae eloquentiae latices propius degustarit, et suarum prae ceteris quaeque dederit exercitationum specimina, in quo *non dicendi modo eximiam facultatem, sed omnes animi virtutes exigimus* (1): qui facili polleat oris perspicuitate ac nitore, quique lenitatis et patientiae munere maxime fulgeat (*A*), itemque magisterii decus ac dignitatem praeseferat, alumnis amandus aeque ac timendus, *ut et teneriores annos ab injuria sanctitas docentis custodiat, et ferociores a licentia gravitas deterreat* (2). Arduum sane et plurimorum humeris grave pondus et impar; cumque praesertim floridissimi aevi nostri enciclopaedae ludimagistros flocci faciant, et cachinnis ubique ac dicteriis irrideant, adeo ut ab ejusmodi obeundo munere boni quique arceantur., rariores plerumque optimi literarum praeceptores. At quibus aptior docendi facultas inest, illud meminisse juvabit., *quod neque munus reipublicae afferre majus meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus juventutem, his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refraenanda*

(1) Quintil. *Inst. Orat. lib.* 1. *in proem.*

(2) *Loc. c. lib.* 2. *c.* 3.

atque coercenda sit (1); idque pariter animadvertendum, insigne instruendi officium, quicquid insulsi quidam et imberbes obganniant, an magis sociali bono perutile ac necessarium, an Ecclesiae Christi proficuum magis atque decorum, haud satis posse declarari. Sed neque viro gravi, studiisque pulcherrimis dedito dignius itemque nobilius: quandoquidem philosophorum praeclarissimos, et Platonem atque Aristotelem, et Romanorum doctissimum Varronem, quin et magnum Augustinum, Isidorum, Boetium, Cassiodorum, et immortalis famae alios omnis aevi sexcentos, grammaticae quoque rudimenta novimus conseruisse atque dictasse. Verum nec artis admodum laboriosae ac invisae insuper vitio egregiis praeceptoribus carere est; omni quippe et loco et tempore prorsus deficient, si praemia desint. Fatendum enim difficiliora quaeque et aversa haud aegre superari, dum vitae commoda penitus affluant, et conspicua lucra, et honores. Sat tibi, sapiens; jamque ad alia properemus.

Plures annos addiscendis Romanae eloquentiae legibus adolescentes insumere, in gymnasiis nostris cummune; idque nisi magistrorum ignavia, inadaequatae prorsus methodi in elementis tradendis defectu plerumque et abusu. Etenim ex pene innumeris regularum, exceptionum, appendicum, atque adnotationum ambagibus eo res decucurrit, ut quod ephaebi facili ac brevi cursu perciperent, in multiplici theoretica rerum varietate diuturno sane ac difficili labore fere queant intelligere. Quo saepius, pueros ingenio praeditos acriori, et ad altiora disciplinarum aptiores, praefractae exercitationis involucris pertaesos, stadio excessisse: in aliis vero ab longaeva repeti-

(1) Cicer. *De Divinat. lib.* 2. *n.* 4. 5.

torum redundantia, duriusculae memoriae aciem obtundi, mentemque haerere ad sublimiora capessenda, videre est. Quid, si veterum theoretica, recentiorumque tecnica mihi jactent? Neminem equidem philologorum discipulis, bene vero praeceptoribus scripsisse novimus. Erit igitur prudentioris magistri cuncta, quae iidem docuere, funditus hausisse, discipulis vero brevi et conctracta manu explorata facere. Singulis orationis partibus, nominum declinationibus, conjugationibus verborum eorumque natura et usu, atque syntaxis communioribus regulis, vernacula utique lingua edocendi, primitus de more instituantur adolescentes. Hisce potenter adeptis, non uti pleraque assolet praeceptorum turba, ad themata quaeque, vulgo *Latinetti*, componenda, ad quae sane plurima dictionum ac locutionum supellex, vel in ipsa novi idiomatis janua a pueris nec exigenda nec speranda, apprime requiritur, sed auctorum voluminibus, *dictionaria viventia et obloquentem grammaticam* recte vocitatis (1), diligenter enucleandis, statim exerceantur, in iisque nominum verborumque, casus, numeri, genera, personae, tempora, modi, cunctaeque singulatim particulae ab ipsis discipulis indigitentur: quo reddere de vocula unaquaque rationem, et phrasium ac regularum veriorem usum ac vim peculiarem practice internoscere queant. Hoc autem in ejusmodi negotio praestandum, ut dum primo explicatu faciliora scriptorum exemplaria perlustrentur, voces omnes ad naturalem eorum ordinem accurate satagant accommodare ac construere, postmodum vero ad difficiliora gradatim, uti jaceant, enodanda, convalescant. In quibus deflorandis, quantum theoreticas quas-

(1) Rollin *De la man. d'einseg. et d'etud. Tom.* 1. c. 3.

libet regulas multa interdum apud classicos auctores exceptio refellat, operae praetium loco et tempore indigitare. Defloranda scriptorum opera apposite dixerim: etenim ne diuturno labore deterriti eadem pueri fastidiant, ea nequaquam ex integro adamussim perscrutanda, sed, prae addiscentium ingenio ac solertia, memorabilia sapientum apophthegmata, praeclariora historiae facinora, morum enarrationes, heroum caracteres, conciones, et cetera hujusmodi, veluti ex omnibus aliqua uniuscujusque specimina, seligere est, ut ab nitida atque amoena rerum varietate facilius allecti, breviori gressu, quo tendunt, praeducantur. *Non multis opus est, sed efficacibus: facilius intrant, sed et haerent* (1). Hinc ad themata, sive, ut ajebat Cicero, ad *proposita* componenda aptius iter atque facilius. Acceptas namque regulas, veluti ratas, et vocabula, et phrases, cognitasque locutiones, quas in auctoribus pervolutatis didicerunt, ad rem opportune applicare adolescentibus in deliciis erit. In ejusmodi vero exercitatione, ut idem elegantissime Tullius, *Libandus est ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos, quo tamquam sale perspergatur omnis oratio* (2). Sed *ii versus, qui ad imitationem scribendi proponentur non otiosas velim sententias habeant, sed honestum aliquid monentes; prosequitur haec memoria in senectutem, et impressa animo rudi usque ad mores proficiet* (3). Atque omnem hujusmodi machinam ad Romanae linguae sufficientiam, sollicito praeceptoris nisu, et assidua volentis discipuli meditatione, vix unius anni palestram excedere posse, innumera commostrant exempla.

(1) Senec. *Epist.* 38.
(2) *Lib.* 1. *de Orat.* *n.* 159.
(3) Quintil. *loc. c. lib.* 1. *c.* 2.

Quaenam autem de studiis humanioribus, sciscitari curiosius reor. Parum, inquam, Prosodiae, Rhetoricae quantum sat est *(B)*. Crebris quippe artis metricae exercitationibus in magnum seu scopulum seu praejudicium addiscentes pueros plerumque offendere, compertum est. Etenim ex insuavibus aversisque grammaticorum, quos innuimus, anfractibus, tamquam e nigro gurgite in amoeniorem carminum semitam educti, defluenti Nasonis copia, et Tibulliano nitore, elegantissima ac praegrandi Maronis dignitate, fervido pressoque Flacci aestu maxime adlecti, alacri adeo atque nova afficiuntur voluptate, ut condendorum versuum occasionem nacti, ex Latiis ad Italas musas toto animo convertantur: et quoslibet facili nisu versiculos assecuti, tanta in ipsis excolendis cupiditate rapiantur, ut id quidem in caussa sit, cur boni quique et aptiores ingenii, qui in domo Dei aliquando praefulxissent, nugis hujusmodi a severioribus disciplinis abalienati, easdem negligant; ac proinde tonsura in cincinnos commutata, sácra tandem Ecclesiae septa derelinquant, in sequioris vitae consuetudines prolapsuri, et districtam vocanti Christo rationem postremo reddituri. Hinc qui praesertim ad sortem Domini sunt efformandi, iis tantum institutionibus brevi ac perspicua methodo imbuendi, quae ad rectam pronunciationem requirantur. Classicorum insuper vatum carminibus probatissimis, atque hinc inde consulto delectis, ne prohibeantur: sed ea parcius et statis diebus, ne memoriter quidem eadem repetentes, vix delibare permittantur. Grandis adhuc tyronibus restat via, quin paleis foliisque capessendis, aevo florentissimo ad sublimiora properante, ipsam decurrere videantur. Nec me propterea tamquam poeseos infensum velis, o bone, insimulare, quem, saepius fortasse, novisti olim et musis

prolusisse: adeo ut moerens interdum conquerar mecum, *ita ne aliud non erat, ubi exerceretur ingenium meum* (1)? Quamvis enim

Negant Camoenis, nec parent Apollini
Dicata Christo pectora (2),

aderit tamen aetas, qua, ociis honestissimis fruituri, pedum metrorumque leges inscrutentur, et senescentis ingenii labores carminibus perlegendis aut conscribendis interdum levare liceat, amotis jamque fervidioris adolescentiae periclis amoenum curis delicium quandoque miscere, cum et innocui, primaeva quoque Ecclesiae aetate, presbyteri, Juvencius atque Sedulius, et sanctissimi praesules Gregorius Nazianzenus et Paulinus, ac ex ipsa Petri cathedra Damasus et Leo, ut alios mittam, sacram aliquando excoluisse poesim non dubitarint.

Jam vero rethorum gymnasia petamus. Plurimae, quae hactenus in scholis obtinuerunt, rethoricae institutiones nullatenus improbandae; at, ne diutius quam par sit, nimio ac ferme sterili praeceptorum acervo juvenes praegraventur, elementare aliquid, quo breviter, dilucide, distincteque artis potiora designentur, quo definitiones, tropi ac figurae, diversaque fandi genera perspicue ac graviter promantur, adhuc forte desiderandum. Etenim *in omnibus fere minus valent praecepta, quam experimenta* (3); nisi imo iisdem fulciantur, veluti esterius absque spiritu corpus, exanimes prorsus regulae ac plerumque inutiles, quippe quae ab exemplis potissimum

(1) S. Augustin. *Confes.* 1. c. 17.

(2) S. Paulin. *apud Auson.*

(3) Quintil. *loc. c. lib.* 2. *c.* 5.

sortiantur originem, nec nisi ab illis vim habeant, cujusque praeceptionis effectum usumque per ea commostrantes. *Ego hanc vim intelligo esse in praeceptis omnibus, non ut ea secuti oratores eloquentiae laudem sint adepti, sed quae sua sponte homines eloquentes facerent, ea quosdam observasse, atque id egisse; sic esse non eloquentiam ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum* (1). Hinc exploratum est, totius rhetoricae negotium parum ex regulis, multum quidem ab sedula assiduaque auctorum lectione atque imitatione pendere (*C*). Sapientibus itaque magistris in officiis erit, Longini, Tullii, Quintiliani, nec non et recentiorum dogmata satis meditari, dehinc vero e praedivitibus eorum promptuariis solidiora artis principia, viva voce, aut etiam scripto, discipulis patefacere, et insimul quae docuerint, in classicorum exemplaribus passim exhibita, singillatim ostendere, ut familiari antiquorum consuetudini citius assuescant, et nativam Romanae urbanitatis venustatem ad quodvis orationis genus assequantur. De hoc autem uno in tradendis eloquentiae legibus admonendi, artis nempe adminiculis solerter quidem innitendum, quin tamen ejusmodi artificia aperte nimis apparere videantur. Nam plerumque nudae illae artes, nimia subtilitatis affectatione, frangunt atque concidunt quicquid est in oratione generosius, et omnem succum ingenii bibunt, et ossa detegunt (2). Forensis, academicae, didascalae, epistolaris, ac dialogisticae loquutionis, maximus prae ceteris Tullius uberrima documenta ubivis exhibet; et unicuique propria, styli elegantioris exempla, et *nudi*, *recti*, et *venu-*

(1) Cicer. 1. *de Orat. n.* 146. (2) Quintilian. *loc. c. in Proem.*

sti, *omni ornatu orationis*, *tamquam veste*, *detracto* (1). Caesaris Commentarii, et pura ac illustris Nepotis breviloquentia, et immortalis illa densi ac brevis semperque instantis sibi Sallustii velocitas, et Livii ad omne mire versatilis atque praefluens ubertas lactea, arduusque philosophantis Taciti contractior flexus, satis superque praeseferent.

Haec plane aptissima omni addiscenti ac prorsus necessaria; at in templum Domini properanti et alia cuperem praemonstranda. *Petamus sane a profanis scriptoribus sermonis elegantiam*, *et ab iis verborum optimam supellectilem mutuemur*: *sed ethnicorum hominum vocibus inseratur divina vox*, *Christianisque scholis*, *ut decet*, *quotidie intersit*, *imo praesideat*, *unus hominum magister Christus* (2). Novum ac fere divinum eloquentiae genus invexit relligio ejus, quo sthola sua candidandos cito initiatos decet (*D*). Non illius in praesens meminerim, quod Apostolorum ore prolatum, idola confregerit, tumidasque philosophantium turmas ad Crucis vexillum perduxerit, et quo dicentem Paulum, numen aliquod ipsumque Mercurium perorantem Graecia salutarit. Illos innuo praepotentis eloquii thesauros, quibus ex aureis Patrum Latinorum scriptis jure meritoque Ecclesia sancta congaudet. Gravem praeferam Cyprianum, et Tullio proximiorem, Hieronymo judice, decorum nitidumque Lactantium: disertissimum insimul Ambrosium, et ipsum vehementem ornatumque Hieronymum libentius praedicabo. Quid insuper alacris arcana cordis dulciter persaepe (*E*) promentem Augustinum, aut magniloquentem Leonem, in-

(1) Cicer. *de clar. Orat. n.* 75. *Disc. Prelim. part.* 1.
(2) Fac. Paris. apud Roll. *loc. c.*

genuumque Gregorium, aut Bernardum mellifluum sane atque flexanimum, ceterosque commemorem? Horum equidem cedro digna volumina solertis erit praeceptoris ad juvenum manus interdum admovere, ac e praetiosa et multijugi tantorum virorum penu delectis quibusdam speciminibus molles adolescentium animos adeo praeoccupare, ut veterum sepientum exemplaria uberrimis patrum scriptis ipsimet componentes, et quam maluerint pro ingenii modulo eloquendi rationem praediligentes, tamquam flosculos hinc inde carpere, sacrae eloquentiae tyrocinium ocyus instituere, ejusque amore vel in ipso sanctuarii limine deperire, et proprium atque decorum Ecclesiae Christi sermonem, mox primas in ea voces edituri, referre queant.

Ab hujusmodi vero collatione jucunda maximum prorsus vel ipsae rei literariae emolumentum obventurum confidimus. Ex ea enim ad amoenissimum perfectionis delectum, quem vulgo *buon gusto* per translationem vocitare consuevimus, lata panditur via. Nil autem utilius praeclariusve, licet sentiri melius quam possit definiri, purissimo ac delicato ejusmodi sensu, quem ab pacato magis mentis judicio, et naturali quadam ratione studiis repetitis perfecta, quam ex energica ingenii acie, promanare deprehendimus. Exquisiti hujusce ope sensus, sententiarum et locutionem veritates, pulcritudinem, accomodationes praecise inscrutantur, dilucide innotescunt; quid melioribus veluti concentibus adapte congruat, quid caracteri unicuique proprium intererit, quid diversis singulatim conveniat circumstantiis, probe distinguimus; inveniendi aut scribendi et rationem, et ambitum, et numeros, et lepores, et delicias, quae ad delectandum magis augescant, pensi habemus, intimeque

consideramus: et defectus insimul in contraria currentes aperte detegimus, et quibus ab caussis ii forte pendeant, et quousque a severioribus artis regulis, veriorique naturae venustate elongentur, adamussim enucleamus atque perspicimus. Scribentis praeterea spiritus ejusmodi sensu duce apprime dirigitur, eidemque, phantasiae fervidioribus aestibus percito et abducto, quidam praefiniuntur fines, *quos ultra citraque nequit consistere rectum*; et consulta ubique expressaque natura, inter multifidos praegrandis copiae apparatus, eloquentiae urbanitates veneresque, sobrie, apposite, concinne distribuuntur. Cujus proinde judicii defectu, nimia item et modica, et quae extra verae pulcritudinis ac perfectionis metam aberrant, et abrupta quaelibet, falsa, emphatica, phalerata, nullo adhibito delectu aut discrimine, a multis quaesita (1). Quandoquidem vero gustui huic excitando totas vires praeceptores intenderint, egregiam navatam operam in discipulos exegisse confidant, e qua pariter ad artis criticae latices haud dispari gressu facile noverint accessuros.

In hac vero, quam postremam ac nobiliorem fortassis grammaticae partem tum veteres, tum recentiorum plurimi adnumerarunt, nil me velis inmorari. Etenim, praeterquamquod ad rationalis philosophiae scientiam nonnulli autument ipsam pertinere, cum ea, si Joannem Clericum, (infensissimum alioqui ortodoxae Ecclesiae conviciatorem et hostem) quem philologorum permulti gressu diverso prosequuntur, excipias, nec certis absolutisque constet praeceptis; cumque de negotio agatur, quod ab ingenio magis atque eruditione rem per-

(1) Rollin. *loc. c.*

tractantis, quam ex quorumdam documentis et observationibus pendere videatur, ecclesiastico adolescenti integrum erit, auctorum scriptis recte censendis atque dijudicandis, artem ejusmodi et loco et tempore paulatim assequi.

Parum enimvero juvenes ad literas erudire, nisi dirigendo spiritui, eorumque fingendis moribus sedulam simul curam adhibeant praeceptores (*F*). Hoc magnum operis incrementum, hic potissimum labor, at tenuis non gloria. *Quare liberalibus studiis filios erudimus? non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem praeparant* (1). Est autem optimi institutoris ad quamvis bonitatis frugem discipulos expedire, eisque tutissimum praecipue tramitem suppeditare *formandi, custodiendique in aetate prima puderis* (2); atque inter docendarum rerum varietatem, diem veluti carpere, ut ab ethnicorum quoque scriptis, quorum plurimi, teste magno Augustino, *paucis mutatis verbis atque sententiis, Christiani fierent* (3), ad excitandum probitatis et virtutis amorem probraque respuenda flagitiorum ac devitanda, scite quaedam et opportune valeant depromere. *Licet enim satis exemplorum ad imitandum lectio suppeditet, tamen viva illa, ut dicitur, vox alit plenius, praecipueque praeceptoris, quem discipuli, si modo recte sunt instituti, et amant, et verentur* (4). Sed haud multis opus est. *Seminis modo spargenda sunt: quod quamvis sit exiguum, cum occupaverit idoneum locum, vires suas explicat, et ex minimo in maximos auctus diffunditur* (5). Ne vero pudeat profanorum testimonia doctorum in re tanta praeferre,

(1) Senec. *Epist.* 88.
(2) Quintil. *loc. c. lib.* 1. *c.* 3.
(3) *De doct. Chr. Cap.* 4.
(4) Quintil. *loc. c. lib.* 2. *c.* 2.
(5) Senec. *Epist.* 38.

ipse viderit Christianus praeceptor, an deterius officio fungatur suo, praeclariora adeoque lumina, quae sint in eo, tenebris obvolvantur, ut in illorum comparatione coram Deo et hominibus adigatur aliquando erubescere. Omnium denique sollicitudinem praetiosam veluti coronidem sibi praeficere satagat, ut nempe ad relligionem sacrorum, ad pietatem, mollia adolescentium pectora semper et ubique impellat succendatque *(G)*, et tamquam emeritus vigilque parens, eos vere, magni Pauli verbis, compellare queat, *filioli mei*, *quos iterum parturio*, *donec formetur Christus in vobis* (1).

(1) *Ad Galat.* 4. 19.

ILLUSTRATIONES.

(*A*) Non *iracundum*, *non percussorem*. Nihil est foedius praeceptore furioso, qui cum debeat esse mansuetus, ille e diverso, torvo vultu, trementibus labiis, rugata fronte, effraenatis conviciis, facie inter pallorem ruboremque variata, clamore perstrepat, et errantes non tam ad bonum retrahat, quam ad malum sua saevitia praecipitet. S. Hieronymus *in cap.* 1. v. 7. *Epist. ad Tit.*

(*B*) Rhetorica et Poetica, et argutarum captionum inventio, multos occupavit, quarum materies falsum est. Nam neque Poetica sine fabula consistere potest, neque Rhetorica sine dicendi artificio, neque sophistica sine captiosis argumentis. Mundanae sapientiae abundantia gravis et acerbae condemnationis incrementum afferet: quippe qui, cum in rebus vanis perspicaces sint, ultro in indaganda veritatis cognitione caligaverunt. S. Basilius M. *Homil. in princ. Proverb.*

(*C*) Qui non solum sapienter, verum etiam eloquenter vult dicere, quoniam profecto plus prŏderit, si utrumque potuerit, ad legendos, vel audiendos, et exercitatione imitandos eloquentes eum mitto libentius, quam magistris artis rhetoricae vacare praecipio: si tamen ii qui leguntur et audiuntur, non solum eloquenter, sed etiam sapienter dixisse, vel dicere, veraci praedicatione laudantur. S. August. *de doctr. Chr. l.* 4. *c.* 5.

(*D*) Prima sapientia est, sapientiam in verbis et dictionum argutiis, inque fucatis et minime necessariis disputationibus sitam, pro nihilo ducere. Atque utinam mihi potius quinque verba prudenter eloqui contingeret,

quam sexcenta in lingua et voce tubae obscura et incerta, quae militem meum ad bellum nequeant excitare. Hanc ego sapientiam laudo, hanc complector, cujus ope ignobiles summam gloriam consequuti sunt, et ad quam viles homunculi caeteris praelati sunt: cum qua piscatores universum orbem Evangelii retibus cinxerunt, ac perfecto illo atque abbreviato verbo, sapientiam illam quae non evacuatur propagarunt. Nec enim qui sermonum sapientiam sibi comparavit, hic protinus apud me sapiens erit: nec qui expeditam linguam habet, ceteroqui vero imperitum animum: velut nimirum sepulcra, quae quamvis externa pulcritudine et elegantia niteant, interne tamen cadaveribus foetent, gravemque putorem tegunt; verum is demum mihi sapiens videtur, qui pauca quidem de virtute verba faciat, per actiones vero multa demonstret, et per vitae integritatem orationi auctoritatem conciliet. Nazianzen. *Orat.* 15.

(*E*) *Persaepe*: rerum namque magnitudine ac prope universalitate suamet copia mersum, verborum delectum, et politulae linguae cultum plerunque neglexisse, magno Augustino plurimi succensuere: idemque ipse, *de Ordine cap.* 17., *me enim*, ait, *cui magna necessitas fuit ista perdiscere, adhuc in multis verborum sonis Itali exagitant: soloecismos autem quos dicimus, fortasse quisque doctus diligenter adtendens in oratione mea reperiet.*

(*F*) Quisquis animum ad docendum induxit, naturaliter vult, discipulos suos ad perfectissimam documentorum suorum cognitionem pervenire. Cum igitur ita sint natura affecti parentes, quomodo non optarit sanctitatis doctor, ut suus discipulus reddatur optimus, ac spirituali sapientia sapientissimus? Praesertim cum sciat, se, si suus discipulus talis evaserit, tum apud homines futu-

rum celebrem, tum a Christo eximias coronas consequuturum, quandoquidem famulos illius, vel, ut rectius dicam, fratres, quando et hac voce uti Christus voluit, diligentia ac cura sua effecit ipsius consortio dignos. S. Basilius M. *Constit. Ascet. cap.* 21.

Quisquis nostrum parentis nomine censemur, quemadmodum pictores multa diligentia imagines ac statuas excolentes videmus, sic admirandis his sedulo operam impendamus. Proposita enim pictores tabella, quotidie adlinunt, pro eo ac artis ratio habet. Statuarii autem et ipsi fidem faciunt: quod nempe superfluum est auferentes, ac addentes quod desideratur. Sic et vos ceu statuarum quarumdam artifices, eam in rem diligentia omni incumbite, qui admirandas Deo statuas conficiatis: ac quidem quod vacat, eximite: quod autem deest, adjicite: quotidieque lustrate quibus a natura praepolleant dotibus, ut augeatis, quos a natura defectus habeant, ut auferatis. Chrysostom. *de educ. lib.*

Hoc sapientiae fastigium est, ut rebus ludicris non afficiatur. Doceatur, nihili divitias facere: nihil humanam gloriam, potentiam, mortem, hujus aevi vitam. In hunc modum prudens erit. *l. c.*

(G) Adolescentibus studiosis ita vivendum est, ut venereis rebus, ab illecebris ventris et gutturis, ab immodesto corporis cultu et ornatu, ab inanibus negotiis ludorum, a torpore somni atque pigritiae, ab aemulatione, obtrectatione, invidentia, ab honorum potestatumque ambitionibus, ab ipsius etiam laudis immodica cupiditate se abstineant. Amorem autem pecuniae totius suae spei certissimum venenum esse credant. Nihil enerviter faciant, nihil audaciter: in peccatis autem suorum vel pellant omnino iram, vel ita froenent, ut sit pulsae similis. Ne-

minem oderint; nulla vitia non curare velint. Magnopere observent cum vindicant, ne nimium sit: cum ignoscunt ne parum. Nihil puniant, quod non valeat ad melius: nihil indulgeant, quod vertat in pejus. Suos putent omnes, in quos sibi potestas data fuerit. Ita serviant, ut eis dominari pudeat: ita dominentur, ut eis servire delectet. Deum colant, cogitent, quaerant, fide, spe, caritate subnixi. Optent tranquillitatem, atque certum cursum studiis suis, omniumque sociorum, et sibi, quibusque possunt, mentem bonam pacatamque vitam. S. Augustin. *De Ordine lib. 2. cap. 8.*

EPISTOLA V.

E scientiis naturalibus addiscenda.

Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum (1): haec magnus Paulus, ut quae, ad labefactandam evangelicae veritatis puritatem in medium proferri quoquo modo viderentur, omni cura devitarent, *secundum datam sibi sapientiam* (2), fratres commonefaciens. Ea quippe tempestate, Simonianorum, ab eisque prognatae Gnosticorum, aliorumve sectae jam invaluerant, qui, uti graece prostat, *μὴ τις ὑμᾶ ἔσαι ὁ συλουγωγῶν*, praedones apposite vocitarentur. Dudum quoque, tamquam praeclariora graecanicae sapientiae oracula, accademica prae ceteris ac peripatetica, jonica, italica, aliae obtinuerant scholae, e cynosarges dicacitate, nec non ab adversantibus stoae atque epicureorum vecordia atque licentia, ne scepticos eclettícosque adjiciamus insimul dehonestatae. Equidem plurima, quae ad cosmologiam, ad mores, summum bonum, subtiliori mentis indagine anxie quaesita, superbe tradita: ast ipsa veritas inter futiles quaestionum tricas obscuriori saepius caligine recondita est; hominemque ex naturae tantum qualitate inspecturis, nonnisi terrena obversabantur captanda, ut, absurdo utrimque judicio, aut nimia eumdem elatione in praeceps assentarentur, aut

(1) *Ad Coloss.* 2. 8. (2) 2. *Petr.* 3. 15.

ipsum temere degradantes, viliori brutorum fere conditioni exaequarent (*A*). Supremi idcirco Entis idea umbris involuta et specie quadam veri fucata, et cupidinum flagitiis invisa quandoque ac prorsus deleta; quam ideo, seu mendaciis, seu vanitate scatentem, *falsi nominis scientiam* (1) recte Apostolus nuncuparat. Postquam autem apparuit lux vera, quae illuminat omnem hominem, ac veluti e primis humanae mentis cunabulis, rectae sermocinationis praesidio, fere adolevit, ac prae recentiorum industria, severioribus studiis periculisque consociata, in magnos crevit auctus philosophia, nil oppido ejus institutionibus opportunius utiliusve ad rem sacram properantibus commendari posse fatendum.

Et re quidem vera patet apprime, inseparabilem nexum, qui inter naturalem et supernaturalem subsistit ordinem, earum veritatum, et quae uni rectae rationis innitantur lumini, et quae ab Fide proficiscantur, necessario cognitionem requirere: praefinitisque mediis ad veritatem et relligionem sacrorum discernendam tuendamque, rationem protinus accenseri; quum *in his, quae de Deo confitemur, duplex veritatis modus, quaedam nempe vera sunt de Deo, quae omnem facultatem humanae rationis excedunt, quaedam vera sunt, quae etiam ratio naturalis pertingere potest* (1). Si enim ab naturae contemplatione et ab ejus qualitatibus diversaque modificatione, ab physicae activitatis extrinseca origine ac contingentia, ea recte deducuntur principia, quibus naturalis relligionis aedificium fulciri dignoscimus, naturales ideo scientias Ecclesiae alumnis admodum necessarias, nequit in dubium revocari. Hisce porro praesidiis, philosophantes christiani

(1) 1. *Tim.* 6. 20.

(2) S. Thom. *contr. gent. l.* 1. *c.* 3.

nominis conviciatores et hostes a primaevis Ecclesiae apologistis perculsi atque prostrati: hisque prorsus ab improborum versutiis et incredulitate, nimium heu diebus hisce nostris ubicumque ingruente Fidei veritas per polemicos nostros validissime vindicata. Atqui plane, nisi furfuris istiusmodi ratiocinantibus paria opponantur arma, eorumdemque principiis trutina severiori excutiantur systhemata, penitusque sophismata conterantur, quanam vice altera defensanda sacra forent ac adserenda? Plurima sane e naturalibus disciplinis emolumenta subsequi in comperto est; per eas namque intellectum eo usque dirigi ac veluti assuescere, experientia edocemur, ut recte appositeque cogitantes, nostras certo quodam ordine ideas, ratiocinationes, judicia, saniori prudentique criterio, consequenti nitidoque systhemate disponamus, ut in dicendo, scribendo, aliis nostra communicando, intelligibiles perspicuique efficiamur, ut denique in directa virtutum, inversaque vitiorum ratione humanas valeamus actiones aequo calculo ponderare.

Ceterum neque validiorem ex professo philosophum, neque extrinsecus veluti dealbatum, qui caesim pluscula delibarit, quempiam ex candidandis nostris exoptamus; etenim *certissimum est*, *atque experientia comprobatum*, *leves gustus in philosophia movere fortasse ad atheismum*, *sed pleniores haustus ad religionem reducere* (1). Hic jam quaerimus nostris accomodatam ac veluti propriam ephebis, quae neque desit parcius, neque nimium redundet, philosophiam (*B*); quae, inter inutilium prorsus quaestionum fere innumeras, e vagis quandoque somniis dimanantes, ambiguisque iis fultas opinionibus, quae in-

(1) Baco *de augm. scient. lib.* 1.

differenter vel rejici queant, vel admitti, haud moretur pretiosas juvenum horas: quae nulli umquam inter sese pugnantium adhaerens parti, historice tantum hypotheses ac systhemata, ut dignoscantur satis, opportuneque impugnentur, enarrare, et materiis necessarioribus generaliter sedulo, simpliciterque depromptis, brevi accurataque methodo theoretica meliora tradere satagat: quae demum rationalis luminis facultate itemque acie aequa lance utrimque perpensis, eousque ad veritatem adinveniendam progrediatur, quousque, intra limites sibi a Dei providentia praefinitos, ratio ipsa siverit pervenisse; ibi enim ratio desinit humana, ubi divina incipit revelatio.

Itaque in selectam ac pulcherrimam ejusmodi provinciam contendentibus, eam primum, quam addiscendorum januam organumque, disceptatricem ac rationalem facultatem veteres nuncuparunt, praeostendere non dubitamus. Jamque mox dilecticae verbum facturus, nebulonum quorumdam videor mihi querimonias et insimulationes audire, qui, Gassendum praecipue, Lockium, aliosve nescio quos recentiorum, veluti antisyllogistas, praeseferentes, despectae scholasticae (de qua opportunius alibi) futiles argumentationum cavillulos dialecticam suppeditare, et fallacem captiosumque theologum efficere hominem, temere inclament ac reprehendant. Hos tamen haud moror summariae ac domesticae epistolae consarcinator, quum et alioqui ejusmodi refellendae calumniae nostratium clarissimi stylum acuerint (1). Est enim dialectica, quippe quae artem simul, scientiamque referat, scientificum quoddam artificium ad mentis hu-

(1) Moniglia *Osser. crit. filos. contr. i material. Trat.* 2. *sez.* 1. Berti *de Th. discipl. proleg. c.* 2.

manae judicia et ratiocinationes dirigendas inventum ac sensim expolitum, ut absque erroris nota ad veritatis agnitionem feliciter perveniatur. Quum autem hinc unum ex altero legitime diducere, et sophismatum fallaciam aperte detegere, ideoque certiorem veritatis inveniendae viam, disputandi peritiam, et recte cogitandi ac disserendi artem edoceat, nullus aequo pacto inficias iverit, sicuti ceteras omnino, absque praeambulis dialecticae praesidiis, ita magis theoligicam facultatem comparari posse; quum ejusdem sit munus, de his, quae profitemur, nexus argumentorum commonstrare, *et eos, qui contradicunt, arguere* (1), et calumniantium atque improborum declinare versutias atque retundere, et *omni poscenti rationem de ea, quae in nobis est, spe* (2), facere satis.

Fatendum quidem ab ipsis logicalibus locis, tritâque argumentationum subtilitate, et nugas et blateras praetereaque nihil, plurimos insuper abusus in scholas irrepsisse: et quibusdam materiis pertractandis, brevitatis et elegantiae gratia, soluta uti oratione cuilibet integrum plerumque esse; at simul quoque animadvertendum, temporum potius hominumque vitio, quod artis defectui passim exprobratur, fore tribuendum; ac quum de summo praesertim agatur negotio, an magis tutam rectamque deserere profuerit viam, ut praecipiti quodam nisu devia et discriminibus obsita pervagentur, haud certe sciam. Hisce porro elementis suffulta humanae lumina sapientiae praeclarissima dudum effulxere, priusquam veteri scholarum excussa rubigine novissimae cogitandi ac ratiocinandi methodi instaurarentur, et fere innumerae recentiorum institutiones in lucem prodierint: e quibus nihilosecius si

(1) *Ad Tit.* 1. 9.

(2) 1. *Petr.* 3. 15.

vel unam et alteram omnibus absolutas numeris adhuc habuerimus, haud facile judicarim. Equidem plurima in iis utilia, quae potiora artis elementa praeseferant, atque ad altiores diverso conatu facultates praeducant, profecto deprehendimus; quum dispari alioqui incedentes gressu, prolixius alios, crambem veterem recoxisse quosdam vero nova itemque rancidula permiscentes neutra forsitan retulisse, aliquos demum plura, ne cuncta dixerim, abs re congerendi libidine abreptos, non aperiendae nobis januae disciplinarum clavim porrexisse, sed ipsa earum penetralia, captim attamen atque incompte, autumasse pandere, emunctae naris quique censuerint. Neque ideo, ut cujusque promerita vellicare scripta vel carpere videamur, haec adnotavimus: sed ut, juventuti ad rem dialecticam instituendae, omnes quoscumque auctores, eorumque volumina coacervare indiscriminatim oportere, ex iisdem apathi ac minime praevento animo seligere iterumque seligere, sibi meliora seponere, optima nancisci, quum neque aetatis neve nominis celebritate unus ceteris omnibus, in cunctis quae docuerit, sit praeferendus, prudentibus praeceptoribus innuamus (1).

Quoniam vero, tempestate praesertim hac nostra, omnia ad unguem fere expolitula exoptentur, si logicis exercitationibus geometrica conjungantur elementa, operae praetium exegisse confidimus: utpote quae utilitatis tantae Plato exstimarit, ut ab ipsis etiam ingenio tradiores, si nullum aliud exceperint emolumentum, hoc tamen, ut acutiores quam antea fiant, assequentur, asseruerit (2). Attamen inter geometricas demostrationes adeo nollem ec-

(1) Ciçer. *Lib.* 2. *de invent.* 4. Moniglia *loc. c.*

(2) Plat. *de repub. VII.*

clesiasticos juvenes inmisceri, ut recentiorum quorumdam placitis inhaerentes, qui, theoreticae analysis ubertatem magis, quam sintheticam methodum praediligentes, puram in geometricis pulcritudinem atque vim, nova signorum copia, summae potius matheseos sectatoribus accomodata, praegravant enervantque, Euclideas problematum solutiones negligant ac deserant, quorum etiam potiora quaeque, prout magis ad rem facere pro addiscentium ingenio et solertia arbitretur, sapientis erit magistri definire.

Hisce prorsus praesidiis dirigendo perficiendoque rationis lumini, quo veritatem facilius invenire, detectam tueri, et nitida ac perspicua methodo exponere queant, exculti adolescentes atque instituti, ad eam, quam proprie graecanica dixere saecula philosophiam, quaeque inde metaphysicae nomine obtinuit, accedant oportet. Etenim isthaec ceterarum veluti semina complectitur facultatum, quippequae non corporeas tantum, sed et incorporeas quoque suo quodam nisu substantias, earumque naturam, adtributa, affectiones, universa demum objecta, physiologiae propria, uno rationis usu contemplatur; nilque ideo praestantius utiliusve, quam ad sacras disciplinas provehendis spiritualitas humanae mentis ejusque inmortalitas, arbitrii libertas, supremi Numinis existentia e naturalibus rationis dogmatibus effulgeant, ut eadem postmodum, ob sacras facultates versati, ab divina revelatione, humani intellectus tenuitatem in obsequium sibi captivante, sarta tecta apertius dignoscant atque tutentur. Quapropter pshychologiae, seu pneumathologiae universae, ac theologiae naturali incumbendum sedulo a tyronibus nostris, e Corsinii, Soavis, aliorumque nostratium lucubrationibus, ab unoquoque aliquid, in quo pecu-

liariter excelluerit, mutuantes; ceteris quibuscumque, licet praeclarissimae famae, posthabitis, utpote qui, temere facultatis ipsius finibus fere praetergressis, novis hypothesibus ac deridiculis systematibus excogitandis saepius erraverint et insanierint, ac tamquam increduli quandoque merito insimulentur *(C)*. Firmioris sane aetatis erit, graviorum emenso studiorum curriculo, omnium pene veterum, si libeat, praecipueque recentiorum subtiliores quaestionum vanitates, ne dicam prorsus deliramenta, perscrutari, sapientissimis insimul, qui eadem validius et uberius ad severiorem trutinam revocarunt, adhibitis, queis, devinctissimo gratoque animo, praeclarum Pisanae academiae lumen, Moniliam, amantissimum olim praeceptorem meum, libentius prae aliis adnumerabo (1).

Physicas insuper institutiones in sacrae facultatis apparatu a pluribus accenseri, non me quidem latet. Quum enim rerum omnium natura ejusque innumerae propemodum varietates ab physicis observationibus vel ipsis ferme oculis undequaque obversentur, brevique intuitu pulcherrimam universi compagem inspecturi, divinam ejus facilius originem, nec non omnigenam conditoris sapientiam dignoscere atque omnipotentiam possimus, ac e terrenis quasi ad coelestia levari, nil sane uberrima et jucunda hujusmodi exercitatione aptius et utilius relligioni pietatique excitandae praesignari posse arbitrantur. Optima haec quidem, omnique prorsus nisu inquirenda; verum adolescentibus ad sacras facultates properantibus non modo necessaria, quin et supervacanea ac fortassis obnoxia dijudico. Etenim remotiora, ne dicam extranea theo-

(1) *Loc. c.*: et *Dissert. contr. i Fatal.*, et *Dissert. contr. i Material.*, et *La mente um. ec.*

logicae veritati adsequendae censenda esse, quae nonnisi mediata implexaque consequutionum relatione, et acri ac saepe dubio mentis judicio pensari queant, quaeque signa ad rem dumtaxat et quasi specimina ad veritatem praeseferre videantur, existimo; quum praeterea et de admirabili universi opificio ab caussa plane ad effectus immediate quodammodo ac verius edoceamur, et sapientissimum satorem atque moderatorem cuncta moventem, cum in singulis adtributorum ejus indaginibus, tum in cunctis ad extra praesignatis operibus, haud tamquam in aenigmate ut pro physicis inquisitionibus, at fere sicuti est, generatim saltem e sacris disciplinis longe lateque contemplemur. Quid autem, si ab physicis naturam universam propius et accuratius perscrutari ac dignosci, atque e peculiari ac distincta cujuscumque rei meditatione facilius ad religionem animos revocari, objiciatur? Id profecto, praeterquamquod *multum adhuc restat operis*, *multumque restabit* (1), in caussa esse reponimus, cur ejusmodi studia non solum ecclesiastico tyroni haud prodesse, sed etiam quandoque officere possint.

Quis re vera nesciat innumeras prope physicorum disquisitiones, et persaepe inter se pugnantium systematum opinionumque diversitatem ac copiam hujusce stadium facultatis latius adeo dilatasse, ut eidem satis percurrendo, totus plane requiratur homo, et diuturnis improbisque laboribus sublimiora sese ingenia exercere consueverint? Generaliter enim singulas naturae leges, et peculiariter ac singillatim quaelibet eidem subjecta persequi, eorumque constitutiones, proprietates, vices, aliaque id genus plurima physicos investigare compertum est. At neque theo-

(1) Senec. *Epist.* 64.

reticis tantum, quinimmo sollertibus assiduisque experimentorum exercitationibus, novis propediem excogitatis machinis, numquam sibi adlaborandum satis existimant. Porro cunctae fere scientiarum in magnum physices incrementum certatim quodammodo videntur conspirasse. Chemiam, postremis hisce praesertim diebus, quam physicae subobscuram carptim veluti pedissequam tot saecula despexere, nunc pari gressu fidelem comitem, nisi potius δεσποτιδὴν mavis dicere, longius adeo, repetitis periculis, terminos suos novimus posuisse, ut illustrium quae obtinuerant systematum, ac recenti quoque Sthaliano flogisti fere deleto imperio, primaevisque decompositis elementis, et ad simplicia supra ter decem (in alia prope innumera mox forsitan dividunda) principia, ut ita dicam, in frusta concisis, ab multiplici adinventorum nomenclatura, plurimis redditis verbis graecizante junctura novis, tecnicarum vocum elenchos ac dictionaria sibi coagmentare coacta sit; nullusque hodierna die alicujus nominis physicus, qui non insimul chimicus, quique celebriores physicorum quaestiones, ad severiorem trutinam iterum iterumque revocatas, ab irrequietis artis periculis haud satagat definire. Quid tandem, ne super quaterna, mythologica nempe, medica, experimentali, atque sacra ad rem physicam sectione, prout morosis quibusdam visum ingeniis, videar inmorari, si naturalis praesertim historiae indaginibus, geometricis algebricisque artificiis, ac non solum mixtis, ut ajunt, partibus, sed cunctis prope matheseos conatibus consociatas, physicas dixerim disciplinas? Hac ne ergo praegravi onerandi sarcina ecclesiastici juvenes, queis magna adhuc et ardua percurrenda via est? Aut tanto impares ponderi, sacris mox scientiis operam daturi, vel ab immani ac involuta ejusmodi praelimina-

ri facultate deterriti, languescent aliqui, prorsusque deficient: aut, siqui praediti acriori fuerint ingenio, ab tantarum ubertate notionum fas praeter illecti, quo celerius atque avidius in eis, eo tardius inter severiora Ecclesiae studia aegre palaestram instituent, nihili parumve ideoque proficient. Quae cum ita sint, laudandi profecto academiarum moderatores, qui inter addiscenda ab candidandis in re theologica physicas institutiones expunxerint. Haec vero de tyronibus dixerim velis: an autem hisce quoque studiis deceat parochum prolixius exornari, alibi opportune inquirendum.

Ad postremam philosophiae partem et altera accedit querela, quam paucis expediam. Quum enim ethicen quoque veluti necessariam, aut valde utilem inter praeambula theologiae autement nonnulli adnumerandam, illam ego sane jure meliori in primis adolescentium studiis praetermittendam censerem. Equidem de morum disciplinis tota rationis vi disserentes, non veteres modo, sed et plurimos recentiorum praeclarissimos, cum de humanis generatim actionibus, tum de virtutibus ac vitiis, de diversis hominum officiis, deque ultimo eorum fine perbelle et subtiliter disceptantes audire est. Antiquorum documenta praetereuntes, plures oppido e transalpinis, qui et profundae disquisitionis et omnigenae eruditionis copia ac delectu, sese intimiores hominis perscrutatores, itemque novarum idealismi perceptionum veluti satores praebuerunt, admiramur; quamvis in quibusdam, uti apud Wolfium, geometricam methodum, quae in morum disciplinis, quin claritatem atque vim, sicuti autumant nonnulli, praeseferat, eas potius incassum exaggerat, ac confusione permiscet, haud injuria improbemus. Et tamen inter opinionum discrimina, inque tanta judiciorum

dubietate, e quibus, sensuum praesertim pravarumque affectionum infirmitate ac libidine, saepius in praeceps abripiuntur, eis numquam christianus adhaeret philosophus, nisi placitae ipsorum disquisitiones tutissimo atque inconcusso fidei adjumento veluti ad lydium lapidem probandae, penitus obfirmentur. Innumeros pene recentium philosophantium libenter mittam, quos e lutulentis Roussoii et Volterii laticibus, ad nauseam usque, adhuc hausisse indoluimus. Quis enim, in iis quae ad mores, et paradoxa, et sophismata, errata, et absurda, singulares ideas, fatuasque virtutes, inter Genevensis philosophi subtiliores eloquentiae impetus passim commixta, non exhorreat? Ecquis vero Ferneyani poetae inter elegantiores styli amoenitates scurrilia et ludicra quaeque patienter ferat? Quo melius ea propter christianam profiteri philosophiam numquam erubuisse comperimus, eo libentius nostrates amplectendi, inter quos eminent et Zanottus et Corsinius, et Muratorius, ac prae ceteris Genovesius, qui recentium ethicorum placita singillatim discutere ac perstringere vehementer, naturalis legis principia enucleare, hominum officia ad veriorem sensum praesignare, atque perfectioris scientiae moralis elementa constituere, miro ingenii acumine, nimiaque eruditione annisus est. Attamen in tanta ethicorum celebritate, limatulam absolutamque morum philosophiam adhuc forte desideramus, quae tamquam humanae vitae dux ac magistra, de theoreticis meditationibus haud satis contenta, nos vere ad praxim praeducat, neque tantum quid virtus, sed quomodo capessenda, nos doceat, atque actus dirigat nostros ad veram adsequendam felicitatem *(D)*.

Quandoquidem vero iis, quae prostent, utendum, quaenam ea est morum honestas ac bonitas, ab ingenitis

naturae luminibus definienda, quae non e certo ac uberiori divinarum facultatum nitore suboriri atque innotescere videatur? Sive igitur opinantes ethici ex inditis a natura seminibus vitae nobis praecepta tradant, neque iis meliora sane, quae e sacrae disciplinae fontibus satis abunde nobis propinantur, existiment polliceri; sive ethicis institutionibus adornandis ab theologica facultate potiora captent atque praeseferant, eadem prorsus, contracta quidem ac precaria manu, indigitabunt, de quibus in sacris morum disciplinis addiscendis funditus tutoque instruimur. Quandocumque autem vigiles Ecclesiae alumni christianae aliquando ethices praeceptionibus dent operam, eamque diuturnam sane ac sollertissimam necesse est, neque illis ergo necessariae utilesve ethicorum philosophantium institutiones erunt dijudicandae.

Atque utinam aevi hujusce nostri juvenculi, sacris praesertim disciplinis excolendi, ab ineunte philosophandi licentia temperarent, eâque prae ingenii fervidioris aestu perciti atque avulsi, in tanta libellorum undique defluentium copia, parcius legerent, minusve saperent! Quaedam enim, quae vel rei novitate, aut raro quolibet acumine disserendi, seu styli forte elegantioris gratia, veritati ac relligioni minime consona, nedum emenso, ac ne fortassis quidem graviorum disciplinarum stadio a longe consalutato, imberbes didicere, maximo ab praeconceptis ideis verae scientiae ac virtuti adsequendae impedimento esse (*E*), neve longaeva interdum meditatione aboleri, e quorumdam exemplis, Antistes providissime, expertus nosti. Plures utique, adhuc mecum ingemiscens, magnae spei coaetaneos meos clericalis tyrocinii curricula strenue atque alacri animo percurrisse memini, qui vana quadam levitate ad transalpinos aliquando flores colligendos

illeciti, novis propediem philosophantium deliramentis curiosae gratia eruditionis, se virus nequaquam imbibituros pertimescentes, immature delibatis, sacrae sensim militiae pertaesi, ejus tandem septa deseruere, atque vel pyrronica postmodum torpentes desidia, aut perpetuo vulgari prope idealismo somniantes, datum in terram foderunt talentum, adeoque omnino sibi aliisque sive defuisse videantur, sive obfuisse, ut de ipsorum salute desperandum fere doleamus. Quae quidem incommoda, ac illacrymabiles jacturas aegre comminiscentes, non satis philosophica studia laudibus prosequamur, aureum Pauli monitum haud satis pariter effati: *non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (1) (*F*).

(1) *Rom.* 12. 3.

ILLUSTRATIONES.

(*A*) Multum mundi Philosophi praedicantur, in dimensiône temporum, cursuque siderum, ac discussione elementorum, et tamen hoc nonnisi a Deo habuerunt. Volando enim superbe, ut aves aerem, et demergentes se in profundum, ut pisces, mare, et ut pecora gradientes, terram descripserunt: verumtamen tota mente auctorem eorum intelligere noluerunt.

Primum unicuique est scire, quid appetat: secundum vero est, ut id, quod appetit, adprehendat. Imperfecta quippe sapientia est, quo tendas scire, et nescire iter, per quod expediat ire. Quid enim prodest, si quis famis tempore ubertatis regionem videat, et viam, per quam ad illam pergat, ignoret? Ecce patriam quisque quaerit, sed qui viam perdidit, errando graditur, non proficiendo: quantoque plus ambulat, tanto magis ab eo, quod quaerit, elongatur. S. Isidor. Hispalen. *Sententiar. lib.* 1. *c.* 17.

Thales quidem Milesius, qui naturalis philosophiae pertractandae princeps exstitit, rerum omnium principium aquam esse pronuntiavit: ex aqua enim ait omnia fieri, et in aquam omnia resolvi. Post hunc Anaximander, ex eadem Mileto, infinitum principium omnium constituit: ex eo enim fieri omnia, et in illud redire omnia. Tertius Anaximenes, Milesius et ipse, aërem omnium principium esse decernit: ex eo enim omnia fieri, et in illud resolvi. Heraclitus et Hippasus Metapontinus principium omnium ignem esse pronuntiant: ex igne enim nasci omnia, et in ignem omnia desinere. Anaxagoras

Clazomenius similitudines partium ; Archelaus Atheniensis, Apollodori filius, aërem infinitum, illiusque densitatem et raritatem omnium principium esse dicit. Hi omnes a Thalete orti eam philosophiam persequuti sunt, quam ipsi naturalem vocant. Rursus ab alio capite et fonte Pythagoras Samius, Mnesarchi filius, principia numeros vocat, eorumque proportiones et concentus et composita ex utrisque elementa, tum etiam Monadem et infinitam Dyadem Epicurus Atheniensis, filius Neoclis, rerum principia esse statuit corpora, quae ratione percipiuntur, vacui expertia et ingenita, quaeque nec corrumpi nec frangi possunt, nec ex partibus conformari aut immutari, ac propterea ratione percipiuntur. Empedocles Agrigentinus, Metonis filius, quatuor elementa, ignem, aërem, aquam, terram, vimque duplicem imperantem, amicitiam et discordiam, quarum altera copulandi, altera separandi facultate praedita. Videtis igitur perturbationem eorum, qui apud vos sapientes habiti sunt, quosque vobis magistros religionis fuisse dicitis. . . . . qui ne sibi ipsis quidem persuadere potuerunt, ut ne inter se litigarent, et a suis invicem opinionibus dissidere viderentur. Plato, tamquam e supernis descendisset, et quae in coelo sunt accurate omnia didicisset, et vidisset, summum Deum in ignea substantia esse dicit. Aristoteles autem brevem quamdam philosophiae suae rationem exponens in libro, quem scripsit ad Alexandrum Macedonem, clare et aperte Platonis evertit sententiam, ac Deum in ignea substantia esse negat; sed quintum quoddam aethereum et immutabile effingens corpus, in eo ipsum versari pronuntiat. Porro nec de humana, quae hic versatur, anima, inter eos convenire, ex utriusque dictis perspicitur. Illam enim Plato tripartitam esse ait, atque aliud

quidem in ea quod ratione praeditum est, aliud quod irascitur, aliud quod concupiscit. Aristoteles autem non tam late patere animam docet, ut partes etiam corruptioni obnoxias comprehendat, sed id tantummodo quod rationis est particeps. Ac Plato quidem, anima omnis immortalis, clamat: Aristoteles vero perfectionem et actum illam appellans, non immortalem, sed mortalem esse decernit. Ille continenter eam moveri: Aristoteles vero immobilem esse dicit, cum motioni omni praesit. Quid igitur causae est, cur non solum inter se, sed etiam secum ipsi pugnent, qui apud vos habiti sunt sapientes? S. Justinus Martyr *Cohortat. ad Graecos n. 3. et seqq.*

(*B*) Eruditio disciplinarum liberalium, modesta sane atque succinta, et alacriores, et perseverantiores et comtiores exhibet amatores amplectendae veritatis, ut et ardentius appetant, et constantius insequantur, et inhaereant postremo dulcius. S. Augustin. *De Ordine. lib.* I. *c.* 8.

(*C*) Cum ista quaeruntur, et ea, sicut potest, quisque conjectat, non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, et absit error opinantium se scire quod nesciunt. Quid enim opus est, ut haec atque hujusmodi affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum discrimine, quando sine crimine nesciuntur? S. Augustin. *Enchirid. c.* 59.

Omnis sapientia ex scientia et opinione consistit; melior est autem ex scientia veniens, quam ex opinatione sententia: nam illa vera est, ista dubia. S. Isidor. *loc. c.*

(*D*) Philosophiae finis, ei qui philosophiae studium profitetur, hic est, ut quoad ejus fieri queat, ad Dei similitudinem accedat. S. Basilius M. *in Proverb.*

(*E*) Noctuae oculis similes ii sunt, qui in inani sapientia operam posuerunt. Etenim, ut illius oculi no-

ctu valent, interdiu autem obscurantur; sic horum animus ad rerum vanarum speculationem acutissimus est, ad verae autem lucis cognitionem habes et caecus. *Idem* S. Basilius M. *Hom.* 8. *in Examer.*

(*F*) Qui naturalibus disciplinis excolendis operam datis, ne nimium in doctrina confidite, nec praeterquam ratio poscat, sapientes sitis. Qui eruditi et literati estis, quo tandem pacto eruditorum nomen obtinere possitis, primario illo verbo (*sapientia*) carentes. S. Gregor. Nazianz. *Orat.* 15.

Displicet mihi, quod multum tribui liberalibus disciplinis, quas multi sancti multum nesciunt, quidam etiam, qui sciunt eas, sancti non sunt. S. Augustin. *Retractation. lib.* 1. c. 3.

EPISTOLA VI.

Sacrae facultatis proleptica.

Devius ac sane improbandus aetate praesertim hac nostra invaluit mos, ut ad sacra evehendi adolescentes, vix emenso rethorum stadio, ad morales confestim disciplinas animum convertant, in iisque, ceteris studiorum posthabitis, toto inhaereant annisu atque versentur, perinde ac si morum tantum institutionibus res omnis ecclesiastica plane constaret. Sive autem inconsiderato praeceptorum studiisque praefectorum jussu, sive impatienti ad fastigium paroeciale tendentium desiderio id evenire plerunque arbitremur, haud parum certe dolendum, plurimos ubique pastorali quoque praeditos dignitate, praeter nonnullas ethices christianae exercitationes, aliorum fere omnium sacrorum praesertim, rudimentorum inopia, ne dicam penitus ignorantia, laborare. Rectorem quemdam de Montanistarum haeresi sciscitatum, eos Montaninum nostrum incoluisse jugum, te referente, Antistes optime, didici serio perhibuisse testimonium: magnum Theodosium decimo secundo ineunte, Thomam vero Aquinatem quarto Ecclesiae saeculo floruisse, nuper mihi alius quidam conabatur suadere: uterque Horatiani carminis probe gnarus, *delphinum sylvis appingit*; *fluctibus aprum.* In quo sane quantum insit dedecoris, quantumve hierarchas istiusmodi ruditas incredulis plerumque, improbisque, mundana satis eruditione respersis, despicabiles praemonstret, nullus non videat. Jamque perspicis oppido,

me in proximiori sacrarum disciplinarum apparatu, ecclesiasticam historiam praesignare.

Quum enim ad majorum gesta perquirenda naturali quadam cupiditate rapiamur, quumque veluti veritatis custodem, boni malique judicem, et humanae vitae magistram ac ducem jure ac merito historiam habuerimus (*A*), quaenam curioso juveni, in fidelium lucem sessuro, scitu dictuque utiliora promere potuerimus historicis Ecclesiae Christi monumentis, prorsus nescirem. Per eadem namque veritate, qua credimus, et exemplis, quibus inhaerendum, instruimur: per eadem Ecclesiae primordia, fidei propagationem ejusque dogmata, quae adhuc usque profitemur, eadem esse, quae martyrum triumphis et signis obsignata, ac inter adversos persequutionum haeresumque fluctus inconcussa atque tutissima ab Apostolis ad nos usque unanimi omnium promanarunt ore, prolixe novimus. Hinc Episcopatus, ab ipso sacerdote summo Christo JESU supra firmam petram aedificati, haud intermissa et individua successio, intemerata Conciliorum auctoritas, uberrima Patrum doctrina, populi denique in beatam sortem adlecti sanctitas atque mores, vel uno intuitu contemplanda nobis repraesentantur. Temporum insuper et locorum accedit ratio, qua epochas illustriores ac saeculornm decursus, nec non urbium atque regnorum ad relligionem sacrorum vicissitudines tamquam in pictura quadam cernere est. Quapropter ecclesiasticam historiam theologicae facultati universae viam sternere, eique quasi fundamentum fulcrumque suppeditare, jure percrebuit; quum ab eadem quid, ubi, quando in christiana republica gestum dictumque aperte prostet: ideoque ad sacras disciplinas percurrendas non novos homines, sed excultos propemodum atque aptiores, ex praeconce-

pta generali rerum addiscendarum notitia, singula exinde faciliori nisu candidandos nostros percipere posse confidimus.

Frequens profecto ac percelebris ecclesiasticae historiae scriptorum chorus, qui vigiliis permultis et labore incredibili fere innumera explevere volumina. Antiquiorum praesertim graecorum, sat praelaudatis monimentis, praeit Ecclesiae annalium immortalis parens Baronius, qui Magdeburgensium Centuriatorum doctrinis aeque ac praejudiciis unus omnium obviam factus, catholicam veritatem ab adversariorum ausibus nedum strenue defendit, sed praecedentium duodecim Ecclesiae saeculorum historiam universam, magnis totidem voluminibus, veluti in praedivite gestorum, monimentorum, discussionum, observationumque thesauro comprehendit, absolvit; quam prae ceteris illustrior Raynaldus ad ultra saeculi XVI. medietatem, eàdem fere methodo parilique industria perduxit. Quoniam vero ingens ejusmodi Baronianum opus plurimis visum scatere mendis, quod in primis evenire adinventis haud raro conspicimus; his ideo corrigendis ab Valesii, aliorum, suisque plerumque animadversionibus egregie Pagius adlaboravit; et eo quod cronotaxi praesertim enodandae plurima e veteri pulvere excusserit documenta, atque acri ingenio et praegrandi chritices ac eruditionis copia, Baronii aliquot, audacter a nonnullis impugnatas, restituerit enarrationes, errata et omissa emendarit, suppleverit, optime de Ecclesiae historia promeruit. Aetate insuper hac nostra Mansius et a Raynaldo congestis, et Pagii quoque disquisitionibus ad severiorem trutinam revocatis, eadem limatulo maturoque judicio adeo perlustravit atque detersit, ut ab annalium conditore ejusque continuatore Raynaldo, nec non ex Pagii crithicis et Mansii adnotationibus integrum veluti absolutum-

que historiae corpus ad usque fere saeculum XVII. habuisse gloriemur. Accessit praeterea e Natalis Alexandri ac Tillemontii lucubrationibus ad sacras historias lux nova venustumque decus; siquidem ille veteris novique foederis contracta veluti synopsi in historicas, crithicas, ac dogmaticas distributa partes, potiora cronologica, aliasque ad rem materias eruditis dissertationibus complexus est: alterum vero, diversis titulis ad extranea quoque properantem plurima simulque obscuriora ecclesiasticae historiae omnigena eruditione enucleantem excepimus. Quum autem ad Ecclesiae historiam perdiscendam diutino et gravi sane tot voluminum studio deterreri quique viderentur, contractior ideo et succosa, sapientibus aeque ac insipientibus accomodata, ne quis oscitet legens nimisque fatigetur, sed instruatur satis itemque delectetur, exoptata historia est, quam post multorum exanthlatos labores an adhuc vere nacti simus, non facile dijudicarim. Etenim, missis Godeanio et Choysio, id praestare annisus est Fleuryus, qui puriori gallici idiomatis delectu et splendido eruditionis et crithices apparatu, selectis quibusdam, quae ab rebus antea enarratis coalescunt, identidem proludens diatribis, ecclesiasticam historiam ad ineuntem usque saeculum XV. prolixius concinnavit; et quamvis magno cum plausu eamdem plures exceperint, aliique rursus, tum ob volitam expressamque propensionem hierarchicae supremae potestatis deprimendae, tum cleri maculis praeter fas patefaciendis, quo falsae interdum ac periculosae ducuntur consequutiones, in eamdem stylum merito acuerint, ipsam nihilosecius nimiis laudibus aeque ac vituperationibus cumulatam plures censuerunt (1). Haud sup-

(1) *De his vide Praesulem nostrum Cl. Marchetti*; La critica al Fleury.

parem Fleuryo Fabreum, ab eoque deterius incedentem nescio quem Continuatorem (ne Racinium quidem, Fleuryano expertem decore ejusque menda geminantem, Janseniana insuper labe respersum, commemorans) lubens volensque praeteream, ut ad Ursium nostrum convertar, qui prima septem Ecclesiae saecula profundius exagitavit, eorumque historias, et sartam tectam catholicae fidei doctrinam, et hierarchicam auctoritatem, accurata et crithica methodo, cultiori Italico sermone, utinam, prout aliquibus visum, dictiose minus, viginti et uno voluminibus complexus est, in arenam eamdem a cl. Becchetto strenue prosequutus; qui proinde saecula quatuor postrema peculiari historia perlustrans, ab Ursiano opere, suisque ab lucubrationibus omnium Ecclesiae saeculorum ad nos usque detersam satis completamque historiam Italis praebuit. Unus quidem, ne ceteros ac singulos persequar, haud omittendus Beraultius nempe de Bercastel: quem, etsi ad S. Gregorii VII. gesta, et alia nonnulla ad Ecclesiae disciplinam, e procaci recentium philosophantium licentia rancidulas mutuarit querelas, alioqui tamen plerumque temperantem, cunctis breviorem praecedentibus, polituło pioque stylo, historiam ecclesiasticam universam suamet prorsus manu digessisse gratulamur.

Non me quidem fugit, praegravis ac longaevi fore laboris, de quibus praefati sumus, historica pervolutare volumina, et perspicuam de re quaque notionem subsequi: quo sane pacto importabili fere sarcina in ipsa sacrarum disciplinarum janua viderentur juvenes onerandi. In iis enim assidua exercitatione versandis, eorumque scriptoribus dijudicandis presbyterum quaero in virum perfectum, cui perutili prorsus et jucundo cuncta latius inquirere ac

pensitare solatio erit. Brevioribus itemque facillimis, ut ita dicam, elementis tyrones nostros institutos velim; quibus ad rem comparandis nil forte aptius *Ecclesiasticae Historiae Breviario* ab egregio Bertio nostro concinne exarato; heic namque Romanorum Pontificum atque Patriarcharum series potioraque eorum gesta, Ecclesiae dogmata ac disciplina, haeresum monstra, eisque configendis coactae Synodi, viri aut scriptis, aut vitae sanctitate conspicui, augusti principes, singulis saeculis externarum quoque rerum accessione ac delectu exornatis, atque plurima ubivis eruditione refertis, aureis insuper ad sacram cronotaxim et geographiam additis prolegomenis, brevi excursu, accurataque methodo dilucide praeostenduntur. Haec itaque synopsis eo libentius praeferenda, quo brevius atque facilius percurrenda videatur; eam enim ipsomet auctore sapientissimo, cum adhuc ad Pisani gymnasii decus et incrementum in vivis ageret, sedulo ac luculenter enucleante, quamplures alumnos suos unius scholastici anni decursu, ecclesiasticam historiam satis abunde memini condidicisse. Quod, tempestate etiam hac nostra, in tanta eruditorum studiosae juventuti instituendae praefectorum copia, optime praestandum fore, non est ambigendum.

Hisce profecto ad sobrietatem exculti adolescentes clerici adeo ut ecclesiasticae historiae adaequatum veluti specimen generalemque ideam sibi gaudeant reposuisse, ab iis quae gesta ad ea quae praecepta rite progrediantur. Quoniam vero juris universi strues maxima ac propemodum intermina, prudentium idcirco magistrorum evocanda sollertia est, qua praegrandis hujusmodi molis involucra raptim enodantes, eadem cupidis cuncta nosse juvenum animis ita pandere satagant, ut distincta brevique methodo cunctis singulisque partibus distributis satque per-

spectis, de quibus parum pertineat minus solliciti, ad utiliora volenti alacritate excitentur et properent. Unum porro tamquam totius ejusmodi fabricae fundamentum, legem nempe, Deo inspirante, per Moysem latam, omnibus, quae ad nos usque pervenerint exscriptis legibus antiquiorem (1), ab qua veluti e primulo fonte cunctarum leges nationum derivarint (2), et in qua juris naturae et gentium principia recentiorum eruditissimi adinvenerunt (3), nostris velim apprime tyronibus innuendum. Ab hujusmodi quippe primordiali collatione facile animadvertent, sacro juri prophanum jus universum derivatione et affinitate quadam conjunctum; ideoque sufficientem naturae et gentium, ac civilis praesertim juris notionem, in quo prae ceteris Romanum obtinuit, primum nancisci oportere.

Quamvis autem universalis juris notitiam ephebis nostris perutilem ac fere arbitrer necessariam; nollem tamen in idipsum praecipuis tritisque exercitationibus eosdem inmisceri (*B*): quasi scilicet per transennam instructos cuperem, haud jam ex praelectionibus quibus in publicis athaeneis excultissimi professores de re omni et cunctis indiscriminatim colloqui laudabiliter de more assolent, sed per senem gnarumque abbreviatorem, qui Grotii, Pufendortii, Barbeiracci, Wolfii, hisque similium volumina, nusquam adolescentibus, ipsis quoque magistris interdum caute legenda, prorsus inspexerit, verum ex recentiorum praesertim Schwarzii, Finettii, Lamprediique institutionibus (qui tamen hominem in statu naturae ab

(1) Spencerus *de leg. Hebr.*

(2) Henr. Steph. *Jur. Civ. fontes et rivi.*

(3) Seldenus *Jus nat. et gent. sec. discipl. Hebr.*

homine in statu sociali haud accurate satis videntur distinguere), parca contractaque manu comprendiaria veluti isagoge, etiam ore tenus, proluderetur, quo adolescentium ingeniis, quin nimiis praeoccupentur, quibusdam quasi luminibus subjecta materies adeo innotescat, ut, hominis juribus et officiis in statu naturae satis praecognitis, ad eumdem in civili statu considerandum ordinate progrediantur.

Jam vero quibus ad socialem felicitatem, ut suum cuique tribuatur, in aequi bonique arte adlaborandum est, eos plane sinamus, cum ab antiquioribus Papiniani, Pauli, Ulpiani ad rem Romanam ruderibus, nec non ab Gregroriana, Ermogeniana, et magni Theodosii collectionibus, tum praesertim e Codicibus Justinianeis, ad eorumque literam ac rectam legum interpretationem, Alciati, Augustinii, Cujacii, Averanii, Gravinae, Meermani, aliorumque sexcentorum omnimoda eruditione collustrandam, jurisprudentiae universae veriorem spiritum, atque intimam, ut ita dicam, philosophiam haud exiguis quidem vigiliis ac laboribus perscrutare. Ecclesiae autem candidandis ad imperiales Justiniani providentia et Triboniani praesertim industria exaratas institutiones, sat levis excursus. Quandoquidem vero ad peculiaria locorum temporumque statuta atque usus easdem visum coaptare, quod Perezius et Heineccius aliique praestitere, nostratium idcirco, inter quae cl. Leopoldi Guadagnii, utinam ad umbilicum usque perduxisset! et Montelaticii ad Etruriae nostrae leges et praxim quoque accomodata, Jurisprudentiae civilis elementa videntur praesignanda.

Quibus plane ad hominem in statu naturae, in civilique societate sub lege constitutum apprime dignoscendum aequo stadio transgressis, ad quae christianum hominem

respiciunt inquirenda, latior clericis ac magna terenda via est. Jamque ecclesiasticam innuimus jurisprudentiam, quam ab Apostolorum, Romanorum Pontificum, Conciliorum, sanctorumque Patrum sancitam legibus atque placitis, in sortem Domini cooptatos abunde nosse, ad eamque recte adponendam veriorem illius sensum ac spiritum adsequutos necessum est. Equidem candidandos nostros canonicis tantum excolendos primum institutionibus, id satis in praesentiarum haud certe negem; quibus accurate versandis, ut Lancellottum, Gravinam, pluresque mittam sacri juris institutionum scriptores, sua quemque laude commendandum, et quas praesul Devotus, Romanus jam antecessor, novo quodam exaravit ordine (1), et quas cl. Foggius ad Pisanae usum Academiae nuper evulgavit Etruscis clericis ad sacram jurisprudentiam efformandis breviter et concinne elucubratas, prorsus laudabo; tametsi, ut propriae eruditionis accessione paullulum exornentur, praeter luculentiores in iis viva praeceptorum voce tradendis expositiones ac monita, insimul adolescentium manibus et *Canonicae praenotiones* Doujatii, et a cl. Lirutio nuper editus *Apparatus ad Jurisprudentiam* (2) terantur velim, in quibus canonici juris natura atque origo, ejusque fontes et loci, collectiones cunctae ad easque limatulo examine excussae quaestiones, quicquid demum ad universae ecclesiasticae jurisprudentiae intelligentiam sternere videatur viam, egregie ac paucis dilucidantur.

Verum si proficientibus ne quid nimis ad haec consuluerimus, majora sane atque plurima ab presbytero ac pastore desideramus. Equidem collectionum antiquiores, quique easdem consarcinarint, parochum et nosse et sci-

(1) Ex alter. edit. Rom. 1792. (2) Patav. 1793.

re laudabile: quomodo ex utroque Joannis Scholastici Fotiique Nomocanone, e Scholiis Balsamonis, ceterisque graecanicis, qui epitomas ac synopses concinnarunt, primae Latinorum collectiones et Dionysii Exigui, et Cresconii Afri, et Hispani Codicis, Hispalensi Isidoro tributi, aliaque canonica monumenta coaluerint atque succreverint: quo doctos piosque e cultioribus quibusque populis Ecclesiae alumnos Conciliorum canonibus, litteris decretisque Romanorum Pontificum, ceterisque sacrae jurisprudentiae monimentis colligendis ab remotis usque temporibus egregiam sedulamque navasse operam facile deprehendat. Ast levior isthaec curiosae gratia eruditionis veluti excursio nil quippe nisi profundioris seriaeque praeludium exercitationis, qua pastorem in juris canonici studiis assidue adeo versari necessum ducimus, ut quae vere quavis invaluerit aetate, quaeque modo disciplina sacrumque jus in Ecclesia obtinuerit, liquido innotescat.

In ejusmodi autem palestra gnarus solersque in primis quique exoptandus, qui haud vulgari critices arte ita polleat, ut ad plurimas, que inibi exagitantur quaestiones, facile nequeat hallucinari. Etenim, ut quiddam veluti specimen exhibeatur, in Isidori mercatoris collectionem, quam recentiorum aliqui cuidam levitae Benedicto non quidem spernendis innixi momentis adjudicarunt, acatholicorum turba et nostratum quoque nonnulli, ac prae ceteris inflantis aevi hujusce nostri philosophantes cinici tonant adeo fulgurantque, ut nisi sobrie quis instet sibi, veriorem excedere metam, ad quam istiusmodi perducenda controversia est, periclitetur. Pseudo-Isidorum namque in falsis decretalibus effingendis Pontificiae tantum potestati ampliandae studuisse, acrior querimonia eaque communior; nil aliud animo volvisse, nisi ut ab fo-

rensibus saecularium potestatum judiciis, atque e praepotentium vexationibus ac rapinis, quibus effera illa tempestate obnoxii fuerant, Episcopos eximeret, contendunt alii. Interea vero, quaqua id pseudo-Isidorus egerit caussa, post tot tantasque veteres recentesque tum insimulationes cum vindicias oportuit tandem ex Consii praesertim, Augustinii, Blondelli, aliorumque animadversionibus convenisse, quod licet Isidoriana fictio ingenue fatenda sit, ipsam attamen collectionem partim quidem supposititiis, interpolatisque, magna vero ex parte legitimis constare monumentis nullus inficias iverit; atque illud pariter statuendum, indignantium censuras criticorum merito quidem deceptorem Isidorum subiisse, at ejus doctrinas ab cordatis theologis neque damnatas, neque facile damnandas. Quamvis enim, quo usus, artificium prorsus vituperandum, finem nihilominus commendabilem adfuisse patet, quo vetus evocaretur jus, ac pristina, prae diversis desuetudinibus collapsa Ecclesiae disciplina restitueretur. Quid vero, si ejusmodi collectionem, falsasque praesertim decretales novum jus inauditumque in Romanam Ecclesiam invexisse, e quibuspiam syncroni, forsitan Incmari Rhemensis, opinionibus, quas neque submorosi recentes critici probavere, nonnulli deblaterent? Jam vero, si tritam de appellationibus recinant querelam, quod veluti maximum achilleumque objectum jactitant, et tamquam abusum criminantur; eae plane, priusquam Isidorianae decretales effingerentur, tam in occidentali, quam in orientali Ecclesia dudum obtinuere, uti nos e certioribus ecclesiasticae historiae monimentis plura docent exempla, et sciiptores

eruditissimi, quibus christianus Lupus (1) prae ceteris accensendus, invictissime Commostrarunt (2).

Parili quoque animi moderamine, quae ad Gratiani Decretum fere innumerae exarserunt accusationes, sunt excipiendae. Quamvis enim, posteaquam in illud ac pro illo tot prodiere volumina, Gratiani defectus atque menda nequaquam hodie dissimulanda, quae potius aevi sui tenebris, quam ejus ingenio et voluntati videntur tribuenda; hoc nihilominus asserere non dubitamus, et eum in adstruenda ad paenitentiam cordis contritione ab omni erroris labe purgatum, quam alibi et nos quoque diluimus (3); et ejus Decretum, romanorum sub Gregorio XIII. correctorum cura, et sollertissimis recentium eruditorum industriis, severiori lance pensitatum adeo atque expolitum, ut fastidiosi tandem aristarchae penitus conticescant, sacrae quemadmodum jurisprudentiae ad plura saecula tamquam oraculum omnes consuluerunt, ita ceu classicum absolutumque opus, dignumque plane, quod priorem in canonico, ut ajunt, corpore locum sit merito consequutus, clerici universi recipiant et admirentur.

Quarum profecto, hisque similium animadversionum praesidio, ad sacri juris codices pervolutandos studiosus presbyter inoffensa properet manu: atque ut veriora ac legitima adsequatur sensa, eaque valeat occurrentibus aptare casibus, et exegeticos, et ermeneuticos praeclariores, veluti adseclas facemque praeferentes, ultro sibi deposcat. Ad haec sane, ut, inter centenos, nonnullos memorem, Barbosam, Covarruviasium, Augustinium, alios, et profunda rerum peritia, et maturitate judicii, et notionum

(1) *Divin. et immob. D. Petri adsert. privil.*

(2) Vide Praesulem Marchetti, *L'autorità suprema del Rom. Pont. dimostr. da un sol fatto.*

(3) *Pisan. illust. T. 1. Uguec. p. 126. e seg.*

copia conspicuos, intimo ecclesiasticae jurisprudentiae dignoscendo spiritui, latam petentibus semitam pandisse deprehendet. Quamvis autem recentiorum plurimi, subtilioris critices indaginibus, eleganti cultu novaque methodo, perspicuitate, eruditione, delectu, tamquam primores fere ubilibet consalutentur, eorum nihilosecius volumina cautissime inspicere, pacato gravique semper oportet pervestigare judicio, ita ut, Boemeriis, Wan-Espeniis, aliisque claris inconsulto nominibus minime litantes, inter vepres aculeosque delibare mella et flosculos ad rem seligere tuto valeamus. Praeterea, ecclesiastico viro haud plurimi generatim ii faciendi scriptores, qui Gregorii IX. et subsequentium romanorum Pontificum Decretales, quod jus novum appellitant, in suam quasi tesseram adsumentes, antiquiores, perinde obsoleti desiissent, negligunt canones: ideoque celebrem ejusmodi scientiae partem nec injucundam obtundentes, et veteris disciplinae, quae diu in Ecclesia viguerat, notiones quamplurimas scitu plane adhuc necessarias extrudentes, tamquam generalia statuta eas nituntur regulas praemonstrare, quae nonnisi universalis juris ceu temperamenta exceptionesque pro locorum ac temporum circumstantiis obtinuerunt. Etenim „ quaestio numquam vertitur de potestate primae Sedis, quae summa et sui simillima semper est, sed de variato ejus per tot aetatum, tot locorum, negotiorumque varietates *exercitio* atque *usu*. Haec certissima norma est conciliandae antiquae ecclesiarum disciplinae cum nova. Satius et sectariis lucrifaciendis, ac recolligendis conducibilibus, ut agnoscas, salvo Fidei semper unius et irreformabili vinculo, disciplinam, mores, ususque necessitati temporum accomodari; nihil autem novatum fuisse demonstres, nisi ex Ecclesiae utilitate, nisi ex caritatis Lege, nisi summa

Episcopalis inter se collegii consensione: nihil novae potestatis summo Pontifici accessisse; sed si nonnulla per Metropolitanos et Concilia particularia prius exercebantur, coepit ipse unus ubique exercere; id totum perfectum esse, non alienam usurpando potestatem, sed suam explicando, aut alienam (*idest ab aliis ante exercitam*) jure ad se devolutam suae accumulando: non principandi latius libidine, sed consulendi caritate: non inferiorum munia invadendo, sed eorumcessationem aut defectum supplendo, Episcopis nequaquam renitentibus, sed ultro concedentibus, ultro Apostolico principatui assurgentibus (1) „. Minus denique audiendi auctores quidam irrequieti, quandoquidem Sacerdotium inter et Imperium censoriam arripientes virgam, alterutrius potestatem modo coarctare, adaugere modo, utrumque turbis miscentes, in deliciis habent; vel quum primi Hierarchae juribus, ut Episcopis succrescant, subtrahere studeant, aut e contra, saecularis perperam, ecclesiasticae et hierarchicae potestatis limites, qui suapte natura inviolabiles ac praefiniti, periculoso irritoque conatu, dubios ac fere versatiles dimissuri.

Quoniam vero copiosius ab fontibus, quam e rivulis facile haurire, Conciliorum idcirco collectiones insuper versandae. Licet autem praeclara haec monumenta, Labbei et Cossartii praesertim opera in unum congesta corpus, quod exinde Arduinus contraxerat, et Mansius noster, Venetique cusores repetitis nimiisque coacervarunt, in struem tantam accreverint, qua lectores deterreri facile queant; ea tamen, prae diversis, quae idemtidem occursent pertractandae, juris canonici sectionibus, prope ineshausta promptuaria, opportune recludenda, praebere posse, non

(1) Thomassin. *de vet. et nov. Eccl. discipl. lib.* 2. *c.* 49.

est ambigendum. Cui sane commodo et Bullaria accenseantur, quae sacri juris ac disciplinae vel thesaurum insigne constituunt, a Joanne XXII. ad usque Pium VI. a pluribus congesta praeloque commissa, e quibus Cocquelinesii collectio, et Benedicti XIV. Bullarium prae ceteris laudantur: quibus tandem Cancellariae regulae, quas ad actus ecclesiasticae consuetudinis ususque praefiniendos inspexisse decet, propius accedunt.

Atque ita jus Ecclesiae universum, omnemque disciplinam expedit pastores sapienter nosse, quo aetatum Ecclesiae singularum veluti induere spiritum queant. At profecto exoptandum, ut praesenti sese omnino disciplinae conformantes, exterioris ac politici status haud valde solliciti, Ecclesiae sortes divini ejus Fundatoris, se cum ea fore usque ad consummationem saeculi, pollicentis admirabili providentiae penitus derelinquere, humili animo volentique meminerint. Ac sicuti recentiorum pseudophilosophantium nugae, qui ab naturae statu hominem in christiana republica constitutum, utrobique profecto haud separabilem, secernentes, Ecclesiae jura detrectant, prorsus despiciendae: ita neque aures aestuanti nimium quorumdam zelo arrigendae, qui ad primaevos Ecclesiae usus cuncta diducere autumantes, plurima dictitant reformanda; istiusmodi namque hominum genus, satis jam condoluimus, vel adnisos in vetitum, vel timendos et dona ferentes. Denique, quum affatim exploratum, interiorem Ecclesiae inesse potestatem cunctis, quae ad sacrorum religionem attinent, dirigendis, itemque externam alteram, ad regulas, quae temporalia respiciant, constituendas, geminam hanc positivi juris divisionem, plurimis, quae apud canonistas disceptantur, sententiis recte definiendis, opportune commeminisse necesse est. Jam vero, quum ad eam

sacri juris partem, quae ab hominibus plerumque coaluit, levi excursu raptim praeluserimus, ad puriores coelestis doctrinae latices, qui divina gaudent origine, convertamur.

ILLUSTRATIONES.

(*A*) Quidquid de ordine temporum transactorum indicat ea, quae appellatur Historia, plurimum nos adjuvat ad sanctos Libros intelligendos, etiam si praeter Ecclesiam puerili eruditione discatur. Nam et per Olympiadas, et per Consulum nomina multa saepe quaeruntur a nobis, et ignorantia consulatus, quo natus est Dominus, et quo passus est, nonnullos coegit errare, ut putarent quadraginta sex annorum aetate passum esse Dominum, quia per tot annos aedificatum templum esse, dictum est a Judaeis, quod imaginem Dominici corporis habebat. Et annorum quidem fere triginta baptizatum esse retinemus auctoritate evangelica: (*Luc.* 5. 23.) sed postea quot annos in hac vita egerit, quamquam textu ipso actionum ejus animadverti possit, tamen ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de historia gentium collata cum Evangelio liquidius certiusque colligitur. Tunc enim videbitur non frustra esse dictum, quod quadraginta sex annis Templum aedificatum sit, ut cum referri iste numerus ad aetatem Domini non potuerit, ad secretiorem instructionem humani corporis referatur, quo indui propter nos non dedignatus est unicus Dei Filius, per quem facta sunt omnia.

De utilitate autem historiae, ut omittam Graecos, quantam noster Ambrosius quaestionem solvit calumniantibus Platonis lectoribus et dilectoribus, qui dicere ausi sunt, omnes Domini nostri Jesu Christi sententias, quas mirari et praedicare, coguntur, de Platonis libris eum didicisse, quoniam longe ante humanum adventum Domini Platonem fuisse, negari non potest. Nonne memoratus

Episcopus, considerata historia gentium, cum reperisset Platonem Jeremiae temporibus profectum fuisse in Aegyptum, ubi propheta ille tunc erat *, probabilius esse ostendit, quod Plato potius nostris litteris per Jeremiam fuerit imbutus, ut illa posset docere vel scribere, quae jure laudantur? Ante litteras enim gentis Hebraeorum, in qua unius Dei cultus emicuit, ex qua secundum carnem venit Dominus noster, nec ipse quidem Pythagoras fuit, a cujus posteris Platonem Theologiam didicisse isti asserunt. Ita consideratis temporibus fit multo credibilius, istos potius de litteris nostris habuisse quaecumque bona et vera dixerunt, quam de Platonis Diminum Jesum Christum, quod dementissimum est credere.

Narratione autem historica, cum praeterita etiam hominum instituta narrantur, non inter humana instituta ipsa historia numeranda est; quia jam quae transierunt, nec infecta fieri possunt; in ordine temporum habenda sunt, quorum est conditor et administrator Deus. S. Augustinus *De Doctr. Christ. lib.* 11. *cap.* 28.

* *Idem S. Pater. lib. 2. Retract. Cap. 4. n. 2.* = In eo quod dixi, de temporum historia sanctum Ambrosium *solvisse quaestionem*, tamquam coaetanei fuerint Plato et Jeremias, me fefellit memoria. Nam quid ille de hac re Episcopus dixerit, in libro ejus legitur, quem de Sacramentis, sive de Philosophia scripsit =.

(B) Videtur mihi studiosis et ingeniosis adolescentibus, et timentibus Deum, beatamque vitam quaerentibus, salubriter praecipi, ut nullas doctrinas, quae praeter Ecclesiam Christi exercentur, tamquam ad beatam vitam capessendam secure sequi audeant, sed eas sobrie diligenterque dijudicent: et si quas invenerint ab hominibus ininstitutas, varias propter diversam voluntatem instituen-

tium, et ignotas propter suspiciones errantium. . . . . repudient penitus et detestentur; alienent etiam studium a superfluis et luxuriosis hominum institutis. Illa vero instituta hominum, quae ad societatem conviventium (*alias* convenientium) valent, pro ipsa hujus vitae necessitate non negligant. In ceteris autem doctrinis, quae apud gentes inveniuntur, praeter historiam rerum, vel praeteriti temporis vel praesentis, ad sensus corporis pertinentium, quibus etiam utilium artium corporalium experimenta et conjecturae annumerantur, et praeter rationem disputationis et numeri, nihil utile esse arbitror. In quibus omnibus tenendum est, ne quid nimis: (*Terent. in Andr. Act.* 1. *sc.* 1.) et maxime in iis quae ad corporis sensus pertinentia, volvuntur temporibus, et continentur locis. *Idem S. P.* Augustinus *loc. c. Cap.* 39.

EPISTOLA VII.

De Scripturis sanctis.

Deus Deorum Dominus locutus est (1), et *novissime locutus est nobis in Filio* (2): *de illa civitate, unde peregrinamur, literae nobis venerunt, ipsae sunt Scripturae* (3), *quaedam epistolae omnipotentis Dei ad creaturam suam* (4). Haec fidei nostrae gloriatio, haec assidua domesticis Christi meditatio, *ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus* (5). Coelestium per eas sacramentorum participes effecti, divinam relligionis sacrorum originem, veritatem, decursus, vel uno intuitu, percipimus et contemplamur. Etenim quam corde et ore profitemur, eadem plane fides, quae ab protoplaste primaeva auspicatur exordia: in alteras ex Noemo progenies transfusa, divino foedere in Abrahami vocatione obfirmatur: lege per Mosem lata, typis praesignatur, atque e tabernaculo ad templum deducitur per Salomonem: prodigiis insuper, ac prophetarum oraculis praemonstrata, nec idololatrum contaminationibus, neque tribuum in gentes dispersione et captivitate, neve impiorum persequutionibus, caede, eversione unquam dejecta aut commaculata, una jugiter eademque, propheticis vaticiniis mire historias elucidantibus, historiis eorum oracula undecumque commostrantibus adimpleta, ad Christum ducem, universorum veluti

(1) *Psalm.* 45. 1.
(2) *Hebrae.* 1. 1. 2.
(3) S. Augustin. *in Psalm.* 40.
(4) S. Gregor. M. *Epist. lib.* 4. 39.
(5) *Rom.* 15. 4.

centrum, pertingens, aeternae in ipso haereditatis aditus divinitus nobis reserat atque tutatur. Quorum autem ore adloquutus est Dominus, eximia vitae integritas ac patrata miracula, neque deceptos, neque decepisse, ostendunt aperte; eorum namque volumina coram filiis Israel et gentibus Dei Spiritu propalam afflata, omnibus fere linguis exscripta, atque a fidelibus, ac quoad vetus Testamentum, a judaeis, *tamquam capsariis nostris* (1), sancte servata. Quod Dei potissimum actum providentia, ne in sacris codicibus additum quidquam vel detractum impune siverit; utque insuper, siqui *non credunt quae nos de Christo praedicta fuisse dicimus*, *quasi a nobis essent conficta*, *mittamus eos ad inimicos fidei nostrae Judeos*, *qui libros nostros circumferunt*, *in quibus eadem habentur quae nos praedicamus* (2). Tanti denique Scriptura sancta decuit haberi, enixis curis et perpetua omnium prosequi veneratione, *quia verbum Domini est* (3), quo sanctitas Omnipotentis, et magnificentia, et misericordia, et copiosa apud eum redemptio omnimode ostenditur cunctis hominibus, eisque vitae praecepta et disciplinae traduntur, adque perennem adsequendam felicitatem panditur via (*A*). Itaque *memorare testamentum Altissimi* (4), quisquis ad patriam tendas, aliisque ad eam dirigendis praeficiaris, *et quotidie Creatoris tui verba meditare*, *disce cor Dei in verbis Dei* (5).

At calceatis pedibus ad rubum ardentem nefas accedere, necnisi repetitis colloquiis nosse datum mysteria Dei: pura scilicet mente assidue quaerentibus (*B*), ani-

(1) S. Augustin. *De civit. Dei lib.* 18. *c.* 46.

(2) *Loc. c. et in Psalm.* 56.

(3) *Zachar.* 11. 11.

(4) *Eccli* 28. 9.

(5) S. Greg. M. *loc. c.*

misque humilitatis atque orationis praesidio fultis arcana coelestia reserantur; *qui enim pie quaerit, honorat sanctam scripturam, et non reprehendit quod nondum intelligit, et propterea non resistit, quod est mitem esse* (1). Quamobrem Spiritu sancto duce industriisque nostris ad magnum fidei codicem et librum sacerdotalem properaturos, cum authentica, tum derivata oportet primum satis dignoscere, quae a vetustis Ecclesiae cunabulis ad nos usque servata et collecta, nedum primaevos foederis utriusque textus, sed et versiones singulas, omnium pene gentium linguis exaratas, nobis praestiterunt: quo ab suppositiis, interpolatis, corruptisque codicibus, inter criticas Bibliorum disquisitiones, inspirata eorum integritas ultro citroque innotescat. Eapropter inter versandas, quas poliglottas appellitant, praeter Origenis tetrapla, quae notiores septuaginta Interpretum, Aquilae, Symmachi, ac Theodotionis complectuntur versiones, ejusque hexapla hebraeum quoque textum hebraicis literis itemque graecis referentia, insequentes adnumerantur. Complutensis, opera Card. Ximenesii confecta, quae textum hebraicum exhibet, ejusque ab Vulgata latinam translationem, graecumque Septuaginta una cum literali exponitione interlineari, atque chaldaicam Onxelosii paraphrasim eamque ad literam latine redditam, nec non graecanicum textum novi Testamenti et ejus ab vulgata versionem: quamvis hebraico nimium textui inhaerentes, tam in graecum Septuaginta, quam in Vulgatam nostram (nondum enim Sixti V. et Clementis VIII. editiones prodierant) variantes plurimae irrepserint, quae eruditis fecere nequaquam satis. Januensis praesulis Justinianii hebraeo, graeco, ara-

(1) S. Augustin. *De serm. Dom. in mont. lib.* 1. *c.* 4.

lico, Chaldaico psalterio, latinis interpretationibus ac glossis explanato, suamet laude donato, Vatabli poliglottam a Roberto Stephano procusam, novatorumque maculis respersam, quam e Salmanticensi editione ad textus veritatem, ejusdemque Vatabli genuinas notas expurgatam quique deinde probavere, lubens volensque praeteream, ut ad regiam Arias-Montani Antuerpiensem convertar, in qua, praeter universa a Complutensi comprehensa, et chaldaicae Jonatanis aliorumque paraphrases, et hebraei textus translatio a Sancte Pagnino elucubrata, atque ad novi Testamenti graecum latinumque Syriaci quoque codices accessere. Hanc Parisiensis excepit, quae, ab Morini praesertim, aliorumque eruditorum studiis, Pentateucho hebraeo-samaritano ejusque Samaritana versione, ac utriusque foederis syriaca et arabica translatione unacum latinis singulorum explanationibus, aucta est. Copiosior tandem Waltoni Anglica fere decupla prodiit: in eique hebraeus textus interlineari traductione, graecus septuaginta ad Vaticani codicis fidem exscriptus e Nobilii antiqua Italica versione interpretatus, Vulgata nostra ab Clementis VIII. emendatione, cum variantibus in calce paginarum adjectis: psalmorum dein et canticorum utriusque Testamenti Aethiopica translatio, et versio Persica Evangeliorum accedunt: chaldaica demum Targumim veluti mantissam absolvunt; quae cuncta elaboratis prolegomenis, lexicis, grammaticis adeo exornantur, ut praecedentibus merito Poliglottis anteferenda, haec una, quibusdam adhibitis recentium criticorum animadversionibus, perutiliter versari posse videatur. Verum ecquanam exotica digestae lingua, aetate quavis biblicae haud emersere versiones? Etenim et Armeniam patriarchae Caractri studio, et Turcicam a Seemano, et a Mareschallio Anglo-

saxonem, et Gothicas e codicibus argenteo Upsalensi, ac Carolino a Wolfembutel, Copticam, insuper, Thebaicam, Memphiticam, aut publici jam juris factas inspeximus, aut ad eas explanandas praeloque cudendas viris doctissimis in praesentiarum adlaborare gratulamur. Ad ejusmodi quoque versionum indagines, fere innumerae, e tabido identidem excussae pulvere, variantes accesserunt, plurimorum, ac praesertim Kennicottii curis recentius adauctae, nuperrime vero a Joan. Bernardo de Rubeis multiplici adeo sollertia, ac delectu conlatae, ut in viro clarissimo an magis perdoctam criticen, ac solida itemque modesta judicia, quam omnimodae eruditionis incrementa laudavero, prorsus nescirem.

Attamen in tanto rerum ac luminum acervo, Criticorum turmis in arena luctantibus, acriter adeo ingenia quaeque decertarunt, ut, suamet copia mersi, veritatis ac moderaminis finibus nonnumquam transgressis, deviis aliquando judiciis aberrarint: quum nullum plane scripturae sanctae librum accenseas, ad quem controversiarum plurimas, persaepe inutiles, clanculas interdum noxiasque haud excitarint. Nos vero luxuriantium hujusmodi Criticorum turbas praetereuntes, unum prae ceteris, quae nempe hebraico textui, quae translationibus auctoritas tribuenda, ab criticis Bibliorum studiis inquirendum fore arbitramur.

Septuaginta interpretum versionem apud graecos, veterem Italicam, dein Hieronymi Vulgatam, quam adhuc colimus, apud latinos obtinuisse compertum est; quum saeculo XV. exeunte, inaugurandae hebraici idiomatis peritiae rabbinorum et cabbalae disquisitionibus evocatis, in hebraeum Bibliorum textum eruditorum conatus potioraque studia exarserunt. An integer incorruptusque, qua-

lis tum legebatur textus idem habendus, quaeque foret illi auctoritas tribuenda, fervidiores hinc initae concertationes. Intactum, ideoque veluti fidei regulam tenendum, ideoque graecae Septuaginta versioni, latinaeque vulgatae praeponendum, ad ejusdem prorsus elevandam auctoritatem, uti hebraizantes, generatim novatores autumarunt. Rursus, hebraicum codicem, malignantium judaeorum in christianos odio, vel in Tyberiensi conventu, vel per Massoram, vitiatum depravatumque, ex eterodoxis nonnulli, et catholicorum plurimi censuerunt. Hos inter plerique moderatiores, eos qui purissimum, quem adhuc habuimus, hebraeum codicem jactitant confutantes, quamvis paucula, queis christiana roborari videantur dogmata, judaeos quandoque immutasse nequeat inficiari, menda tamen, quae inibi deprehendantur, e rabbinorum in vocalium punctis addendis ignorantia, atque librariorum defectu potius irrepsisse demonstrarunt (1).

Paribus item vicibus graecam septuagenorum versionem obnoxiam dignovimus, quandoquidem et de ejus auctoritate, ac identitate, et quoad interpretum numerum, locum, eorumque historiam ab Aristaeo enarratam (de cujus veritate dubitatum, vel in apographis interpolatam) nonnulli eam insimularint, pro ea steterint plurimi: usquedum inter varia discussionum certamina, postremis tandem hisce temporibus, obnixe adeo pugnatum pro illa, ut pristinae auctoritati splendorique suo restituta omnino videatur (2).

Et re quidem vera, tot exantlatis doctissimorum laboribus, in tanta eruditionis et critices ubertate, innumera

(1) Bellarm. *De verb. Dei scripto lib.* 2.

(2) De Magistris *Apol. de sent. PP. septuag. vers.*

propemodum subsidia ad scientiam biblicam praestita, nullus inficias iverit; attamen, si de criticis Scripturae sanctae studiis satis jam superque conscriptum dixerim, forte nimium ausisse videar. Esto namque in hebraeum textum, graecanicamque versionem, malignitate, versutia, ignorantia, negligentia, quomodocumque mendas quasvis insiliisse, eas nihilosecius divinae revelationis depositum essentialiter in sacris libris minime alterasse, utique exploratum est: quia *varietates istae non tanti sunt momenti, ut in iis, quae ad fidem et mores pertinent, sacrae Scripturae integritas desideretur* (1). Hinc, licet presbyteros et pastores, exoticis linguis, quas aliis etiam de caussis plurimum eis profuturas dicemus alibi, perdoctos aut satis excultos, ad congruam Vulgatae nostrae conlationem e biblicis, hebraeo praesertim et graeco, haurire fontibus laudabile valde ac decorum, quippequum Tridentina Synodus, teste Salmerone, qui eidem interfuit, *liberum reliquit omnibus, qui Scripturas sacras profundius meditantur, fontes hebraeos et graecos, quatenus opus fuerit consulere* (2), ideoque ab praeclarioribus criticorum lucubrationibus plurima sane ad rem oporteat mutuari; cunctos nihilominus ad ejusmodi palaestram properantes monitos velim, ut nempe criticorum singulos quo ductos spiritu gravi apathique perscrutentur judicio: ut sacrae tantum criticae inhaereant: ut levissimae gratia eruditionis inanibus grammatices nequaquam indulgeant nugamentis: ut demum notabilioribus textuum depravationibus dignoscendis, ambiguisque expendendis variantibus, caute, sobrie prudenterque se habeant, ne, dum hebraicis et graecis codicibus fidem adstruunt, vulgatae nostrae convitium

(1) Bellarm. *loc. c. lib.* 2. *c.* 2. (2) *Prolegom.* 2.

facere videantur. Decrevit enim laudata Synodus Tridentina, *ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum spatio in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro autentica habeatur; et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat* (1). Et plane, quum antiqui foederis hebraicam veritatem, uti eam Hieronymus saepius appellitat, ex tum forte integro textu ab ipso doctore maximo scite adeo ac diligenter latine translatam (quicquid rotundo nimis ore vociferator Erasmus, Xav. Matthaeius aliique audacter obganniant) *ut ad hebraeum fontem pene non egeamus accedere* (2), et novi Testamenti paginam, partim e veteri Italica retentam, partim ab Hieronymiana translatione ac emendatione susceptam, Ecclesia ratam habuerit, eamdem profecto sapienter dictam, provide sancitam, verissimeque *autenticam*, dijudicatam recentiorum disertissimi commostrarunt (3), dignamque prorsus, quam sacri administri cunctique fideles prae manibus jugiter habere satagant ac meditari.

Ceterum ab ecdoteis criticisque exercitationibus Bibliorum auctoritatem parum nosse, nisi recta eorum sensa liquido assequamur, eaque in fidelium lucem valeamus exponere. Difficilis enim itemque reconditus sermo Dei (*C*), quicquid omnibus obvia clamitent Scripturarum sensa, facilemque ipsarum intelligentiam, attamen inter sese de interpretatione jugiter digladiantes, absurdis quidem judiciis, sibi arrogent Novatores. Hujusmodi vero difficultas ex rerum ac sensuum profunditate, itemque oritur ab obscuri-

(1) *Sess.* 4.

(2) Cassiodor. *De instit. divin. Script.* c. 21.

(3) Branca *De sacr. lib. lat. vulg. edit. auct. Mediolani* 1781.

tate signorum (*D*). Quamvis enim plurima in sacris literis cuivis ingenio congruentia, ardua tamen per se quaeque implexo interdum dictionis velamine obtegi, plura saepius intellectu haud difficilia densâ sermonum caligine obduci, multa denique verborum perspicuitate plana et aperta rerum ipsarum magnitudine ac excellentia humanae mentis aciem longe superare experimur. Quocirca et magnus Augustinus, se *in sanctis Scripturis multo nescire plura quam scire* (1), humiliter profitebatur: *quod totum provisum divinitus esse* non dubitaret, *ad edomandam labore superbiam, et intellctum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt* (2). Etenim *quae labore parata sunt, ea, nescio quo pacto magis amantur, quaeque longo tempore contingunt, constantius permanent* (3). Nec ideo, pro ingenii acumine ac praestantia, sacra Biblia tractanda ita sunt, ut eorum sensa vel subtilioris ndaginis vel acrioris gratia disputationis ad quamlibet abducere partem ac fere liceat extorquere; divinitus namque provisum, ne cui libera daretur e proprio sensu Scripturae intelligendae facultas, ut certum ejus ac infallibile judicium esset penes Ecclesiam, *columnam et firmamentum veritatis* (4), cui de vero sensu et interpretatione legitima dijudicare est atque decernere: adeo ut ejusdem Augustini tritum sit illud, *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae moveret auctoritas* (5). Sicut enim verbum Dei sola recepit Ecclesia, ita et eadem una intemeratum servat atque tutatur: ac proinde absque ipsa illud quaerentes,

(1) *Epist.* 119. *ad Januar.*
(2) *In Cantic.* 4.
(3) S. Basilius *Exposit. in Isai. in proem.*
(4) 1. *Tim.* 3. 15.
(5) *Lib.* 18. *Contr. Faustum.*

vel interpretantes, aut docentes maxime decipi, veluti divinantes sacrilega temeritate de corde suo prorsus haberi, et argui de mendacio necessum est.

Non me quidem fugit vocitatum ab Augustino *Scripturarum solertissimum indagatorem*, *qui primo totas legerit*, *notasque habuerit*, *etsi nondum intellectu*, *jam tamen lectione* (1); et plane, cum saepius scriptores sacri ανϑρωποπαϑῶ., ut ajunt, obloquantur, literalis et historici sensus intelligentia apprime facilis, omnibusque patens: attamen, ut idem subdit egregius doctor, *pascit Deus manifestis*, *exercet obscuris* (2); et ubi de sensu typico vel mystico, sub quo triplex pariter, allegoricus nempe, anagogicus, ac tropologicus plerumque latet, praeeunte ductore indigere qui haud exigui laboris stadium aggrediuntur, fatendum est. Hinc quasdam veluti regulas primitus sibi quisque praefiniat, ut ab Ecclesiae interpretatione ac traditione, Patrumque expositione probatissima, ea Bibliorum loca, quae fidei continent dogmata, expendantur; ut sicuti naturaliter sonant excipiantur verba, quae nec ad tropos neque ad sensus improprios detorquenda: quumque dubia quaeque obversentur sensa, antecedentia iis elucidandis itemque consequentia sedulo conferantur; ut quum diversa ab uno et altero scriptorum sacrorum videantur affari, quin inter sese pugnare existimentur, eorum mens verborumque significationes e scribentium scopo, intentione, circumstantiis colligantur; ut demum in tropicis loquutionibus, is literalis sensus, non quem proprie verba, sed quem translate ac metaphorice significant, censeatur (*E*). Alia insuper animadvertenda, videlicet, permulta verba quae falsa quandoque videri pos-

(1) *De doctr. Christ. lib.* 2. *c.* 8. (2) *Loc. c.*

sent, ubi Deus aut reprehendit, aut futuras infert calamitates, pro figuratis locutionibus, quas ironicas rhetores dicunt, habenda sunt, itemque comminatoria sunt accipienda hypothetice, rebusque sic permanentibus; tamquam aptissimae similitudines, judicanda pariter quae interdum fabulosa videantur, namque *parabolae aliud in medulla habent, aliud in superficie pollicentur* (1); plura denique, Dei operationem imperiumque sonantia, de permissione sunt exponenda. Quibus aliisque plurimis, quas biblici scriptores congesserunt, regulis instructi, ad veriorem sacrorum codicum explanationem accedentes clerici, magna primum emolumenta e multiplicibus, quae usque adhuc prodiere, versionibus se noverint adepturos.

Has inter eminent, Samaritana, licet haud parum a codice differat hebraico, cui veluti primaevum textum eamdem praeponere Morinus perperam aliique nituntur, et graeca septuaginta senum, ab variis praesertim ejus editionibus (quae septem Origenis aetate in plurimas modo, nescio quibus innixae fulcimentis, accreverunt), novis praeterea clarisque monumentis, libro nempe Danielis, quem in eadem versione adhuc desideravimus, unacum S. Hippolyti commentariis in Chisiano atque Ambrosiano codice (2), nec non Ellenistarum graeca versione in Veneta S. Marci bibliotheca (3), adinventis, gnaviter ac diserte perlustratis, e quibus ad plurima sacris Bibliis explicandis lux sane pulchrior accessit. Opis quoque praecipuae praenotatur Syriaca cum veteris, ad cu-

(1) S. Hieronym. *in cap.* 12. *Eccl.*

(2) De Magistris *Daniel Septuag.* *Romae* 1772. Bugati 1788.

(3) Micaelis *Nov. Bibl. orient.* T. II.

jus autographa recentiores multa opinarunt, tum novi Testamenti, quae nisi ab Evangelista Marco, uti arbitrantur Syri, fere Apostolorum aevo creditur exarata, qua primi christiani orientales usi fuerint, eodemque autument nonnulli exscriptam idiomate, quo Christus Dominus ejusque discipuli colloquebantur. Targumim, seu chaldaicae paraphrases subsequuntur, quae tametsi judaeis, et quibuspiam quoque nostratibus, chaldeorum lingua post Babylonicam captivitatem hebraeis vernacula et familiari, antiquitus videantur elaboratae; eae nihilominus, ab Origenis, S. Hieronymi, aliorumque coaevorum patrum silentio, tardioribus prorsus aetatibus adscribendae. Ex hisce porro, Onkelosii in Pentateuchum paraphrasis admodum in praetio habita: quum alioqui Jonatanis targum alterum, Josue, Judicum, Samuelis, Regum, Isaiae, Ezechielis, et duodecim minorum libros, quos omnes hebraei in prophetis reponunt, complectens, tertiumque targum, quo auctore haud certe constat, libros comprehendens, quos hagiographos vocant, Esther videlicet, Job, Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastae, Cantici Salomonis, Ruth, ac Threnorum, quamvis duo praesertim postrema nonnunquam insincera et nugis fabulisque referta, quia tamen judaeis revincendis illustriora, quae de Messia exhibent, testimonia e veteribus traditionum ac expositionum, quae a prophetis prostarent, monumentis protulisse, tum quia ad comparandam locorum quorumdam hebraici textus obscuriorum explanationem, peculiaria videantur commoda suppeditare, pluris existimentur. Verum, brevis esse laborans, mittam versiones ceteras exoticis concinnatas linguis, quas presbyterorum itemque pastorum generatim rariores callent, excolunt pauci, negligunt plerique, et illas sat innuisse, ut earum nonnullas, quae

usui faciliori praesto esse queant, raptim indigitemus. Erasmo, viro alioquin insigni, Vulgatae S. Hieronymi latinam suam novi Testamenti e graecis autographis versionem aestuanti philantia praeferre obnitenti, quam etsi dein recensitam reformatamque, crebrisque adsertam vindiciis, uti rei novitate perosam, et scatentem pluribus mendis, docti universim reprobarunt, vale dicto, ea potius commemoranda, quam Sanctes Pagninius, ex hebraeo vetus, e graeco textu novum Testamentum permultis quidem vigiliis latine reddens, ad litteram concinnavit: quae sane ad utriusque linguae cum latina conlationem facile addiscentibus iter praemonstrare visa est. Quas autem, vernaculo et vulgari conscriptas idiomate, utriusque Foederis translationes lutulentae acatholicorum latebrae ejectavère, pluresque subdolae fidei transalpinas, omnino rejicientes, ceteras (sua unicuique laus esto) praetermittimus, *ne quidquid de fonte proficiscitur*, *hoc* iterum atque iterum *quaeramus in rivulis* (1). Circa tamen vernaculas hujusmodi translationes prae oculis habendae sunt regulae quas legere est in romana Indicis editione anni 1786. pag. x. et xiv. (*F*).

Omnium denique ad Biblia sancta disquisitionum veluti coronidem, illorum, qui eisdem ubertim inlustrandis insudarunt, exegeticas versare lucubrationes, arbitramur. Quoniam vero vel Patrum, aliorumque cujusvis aevi sexcentorum nomina recensere, qui in utramque paginam exegeses, concordantias, ecphrases, commentaria et pene innumeras ejusmodi enarrationes edidere, nec levis sinat epistola, neve ab studiis biblicis prae ingenti auctorum librorumque acervo pigritantes quique deterreantur, inte-

(1) S. Hieronym. *Comment. in Epist. ad Ephes.* 1. 4.

grum relinquimus, ad rem optima carpere, et eos qui magis commendantur opportune consulere. Duo sane praeclariores haud reticendi, Cornelius videlicet a lapide, qui licet nonnumquam fusiori stylo inutilia quaeque protrahat, plurimis tamen praestans haud vulgarem sibi locum promeruit, atque Calmetius, qui nedum variis exquisitisque ad scripturam sanctam operibus, sed literali praesertim earum sensui explicando, infaticabili prorsus industria in commentariis suis, multiplici ubivis eruditione refertis, adeo adlaboravit, ut jure prae ceteris collaudentur. Sin autem unus et alter, qui pressos quidem, sed accuratos nitidosque, ad sacros codices ediderint commentariolos, diurna veluti manu versandos, quaeritentur, Tyrinus et Menochius adeundi. Quoniam vero compertum satis, Patrum antiquiores, de fidelibus in viam salutis dirigendis prae ceteris sollicitos, moralia plerumque sensa et allegorica in divinis libris captare consuevisse, et inferioris aevi commentatores, scholae tecnis ac philosophicis ambagibus implicatos ad sacras quoque literas id egisse, donec, novis haeresum monstris ad scripturarum puritatem labefactandam enatis, literalis sensus prae aliis obtinuit; eumdem idcirco primum quaerere, ac potenter sibi comparare, operae pretium erit, ut postmodum ab praedivitibus biblicae sapientiae promptuariis moralis omnisque spiritalis sensus satis abunde adsequatur, quin futiles inopesque rerum mundanae prorsus eruditionis nugae deperdito labore aucupentur. Nimia heinc in divinis eloquiis exquirendis curiositas praecavenda, neque naturalium in ipsis pervestigandae scientiarum notiones; etenim *ad beatam vitam non profutura discentibus* (1), vel Deo volente

(1) S. Augustin. *De Genes. ad lit. lib.* 11. *c.* 9.

in Scripturis sanctis praetermittuntur, vel *multa dicuntur juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur* (1); atque sicut non sapientioribus tantum, sed et modico praeditis ingenio scriptores sacros sese quodammodo decuit attemperare; ita de rerum praesertim natura abs instituto interdum obloquentes, quas primus rerum conspectus ingerit animis, et prout ipsae appareant, non autem prout re vera sint, opiniones jam vulgo probatas sequuti sunt. *Moyses rudi populo condescendens, sequutus est quod sensibiliter apparet* (2); et *non legitur in Evangelio Dominum dixisse, mitto vobis Paraclitum, qui vos doceat de cursu Solis, et Lunae: Christianos enim facere volebat, non mathematicos* (3). Absit ergo, ut inhiet quis humanas istiusmodo dubiasve in divinis sermonibus agnitiones expetere, quandoquidem *rebus salubrioribus impendenda temporum spatia* (4).

Unum porro, tamquam rei Biblicae peculiare documentum pretiumque, legem nempe Deo inspirante per Mosem latam, animadvertere est. Celsam etenim divinamque legumlatoris sapientiam singulae legislationis partes egregie praenuntiant. Sublimia, pura, sancta, quae ad relligionem sacrorum, quae ad mores, dogmata atque praecepta; quae ad rituum normas, quamvis typica, dignitosa, rectaeque rationi innixa jugiter: politicae, bellicae, civiles leges, prudentes, aequae, providissimae. Mens namque et consilium legislatoris ad temporum, locorum, climatum circumstantias, ad ingenium ac proclivitatem

(1) S. Hieronym. *in c.* 28. *Jerem.*

(2) S. Thom. 1. *part. quaest.* 70. *art.* 1. *ad* 3.

(3) S. August. *de actis contr. Felic. Manich. lib.* 1. *c.* 10.

(4) S. August. *loc. c.*

Hebraeorum, ad finitimorum mores populorum. Nil in ea legislatione naturae legibus haud consonum, nil virtutum cuilibet obsistens: ab cunctis justitia, pietas, honestas, beneficentia ubivis concitantur: objectum, origo et primae, diuturnitas, in legem ejusque latorem tot gentium, tot aetatum cultus et observantia, ad tantae legislationis excellentiam adstruendam mire conspirant. Qua de re, veluti primaevam unamque divini humanique Juris scaturiginem, ipsam merito viri clarissimi semper ubique contemplarunt (1).

In legem, prophetas, et hagiographa de more Bibliorum divisio, eamque Christus Dominus ratam videtur habuisse *in lege Moysi*, *et prophetis*, *et psalmis* (2): in quibus profecto inexhaustis divinae sapientiae thesauris, quidquid attinet ad fidei veritatem profitendam asserendamque, et ad coelestis regni semitam adinveniendam, atque aliis praemonstrandam, reperire est. Ecquis vero, ut quidpiam veluti specimen exhibeatur, uberrima atque potiora ab regio psalte reserata, ipsique uni in Christi revelati mysteriis praecinendis facile concessam prae ceteris palmam abnuat fateri? „ Hic fidelium Pindarus, hic Flaccus noster est, et siquo alio nomine divinus lyricus innotescere queat, egregius certe, atque omnium, qui unquam fuere, vel futuri sunt, elegantissimus vates, cui singulare fuit perpetuumque, Christum, Christique res admirandas carmine celebrare (3) „. Huic coelesti psalmodiae jure meritoque cuncti admovent christiani manus: haec omnium ore jugiter personat, et ab iis, qui custodes positi super

(1) Guernée *Lettr. de quelq. Juif a M. de Voltaire. T.* 1. *p.* 251. 3. *edit.*

(2) *Luc.* 24. 44.

(3) Acosta *De Verb. script. interpret. lib.* 1. c. 22.

Jerusalem tota die et nocte non cessabunt laudare nomen Domini, inviolabilis sanctione legis frequentatur, ut ad instar praeclarissimi hujus exemplaris sensus et affectus nostros utique perficiamus (1). Etenim „ certat in psalmo doctrina cum gratia simul; cantatur ad delectationem, discitur ad eruditionem. Nam violentiora praecepta non permanent, quod autem cum suavitate perceperis, id infusum semel praecordiis, non consuevit elabi. Quid est, quod non tibi occurrat psalmos legenti? In his lego *canticum pro dilecto*, et sacrae desiderio caritatis inflammor, in his torcularia divini mysterii recognosco, in his revelationum gratiam, resurrectionis recenseo testimonia, repromissionis munera; in his disco vitare peccatum, dedisco erubescere poenitentiam delictorum: tantus rex, tantus propheta suo me provocavit exemplo, ut, aut commissum studeam extenuare peccatum, aut non commissum cavere (2) „. Atque utinam coelestis hujusce instar conversationis solatium praesidiumque haud unquam negligant presbyteri omnes, et, sicuti jubet Apostolus (3), psallant spiritu, psallant et mente, neque e dudum repetitis, aut labiis tenus psalmos deblaterent, ac fere proscindant, vel, quod absit, aliquando fastidiant, atque ita suaviori animae pabulo ac medicamine, et pretiosa fructuum inde manantium copia, ad perditionem utique, abutantur, et careant! *Quo spiritu Scripturae sanctae factae sunt, eo spiritu legi desiderant* (4). *Homo Dei discat primo Psalterium, in his se canticis avocet: et in Proverbiis Salo-*

(1) S. Athanas. *Epist. ad Marcel.*

(2) S. Ambrosius *Praef. in enarrat. Psalm.* 1.

(3) 1. *Corinth.* 14. 15.

(4) S. Bernard. *Epist. ad fratr. mont. Dei.*

monis erudiatur ad vitam. In Ecclesiaste consuescat quae mundi sunt calcare: in Job virtutis et patientiae exempla sectetur. Ad Evangelia transeat, numquam ea positurus de manibus: Apostolorum Acta et Epistolas tota cordis imbibat voluntate (1). Eas profecto sanctissimi gentium Apostoli summopere tibi, pastor gregis Christi, commendatas velim, ut ipsas peculiari quodam pietatis affectu depereas, iisque non intermissa exercitatione fruaris; *numquam ingredieris in sensu Pauli, donec, usu bonae intentionis in lectione ejus et studio assiduae meditationis, spiritum ejus imbiberis* (2).

Magnum denique operae pretium facturi, si foederis utriusque diligenter conferamus oracula *(G)*: e mutua enim eorum conlatione lux maxima ad Biblia sancta praefulget, vicaria sibi subsidia utrâque pagina invicem praestante, prophetis videlicet Evangelio testimonia perhibentibus, Evangelio itidem prophetarum vaticiniis veritatem auctoritatemque tribuente, quo fidei mysteria admirabili sane evidentia, nitidoque lumine perfundi novimus. Hem hinc pulcherrimus sibique mire constans consensus et ordo, ac *una facies universa, atque, ut ita dixerim, vultus sanctarum scripturarum* (3), unde testimonia Dei credibilia facta sunt nimis, quo judaeis confundendis, excaecandis infidelibus, rebellibus coarguendis, et ad Ecclesiam reducendis, robur invictum suppeditari experientia edocemur: hem iis, quos praefecit familiae suae, quo fideles alliciantur, foveantur, coalescant ad vitam, datum a Patre luminum!

(1) S. Hieronym. *Epist. ad Laet.*
(2) S. Bernard. *loc. c.*
(3) S. Augustin. *Enchirid. c.* 98.

Quandoquidem vero hoc unum potissimum praestare connitantur pastores, ut in lege Domini meditentur die ac nocte, beati *(H)*! Quantum venerabilibus fidei mysteriis alte animo infigendis, veraeque pietati excitandae sincera et studiosa Scripturae sanctae valeat meditatio, quantum ad intimiorem Christi JESU agnitionem, dilectionemque inflammandam prodesse queat, res ipsa melius docebit expertum quam verbis exprimi possit. Haec Timotheo suo, in eoque cunctis Christi domesticis a magno Paulo studia potissimum commendata (1), haec a Patribus virisque omnis aevi praeclarissimis in se usurpata magis, quam aliis praecepta et exhibita. Utinam denique, quum sacri reserentur codices, ne historicae tantum curiositatis gratia inquiramus, neve ut copiosius concionemur, et diserte scribamus, e prophetarum magniloquentia, tamquam flosculos ac viridantia folia seligentes, in divinis exhauriendis eloquiis hebetes plane atque caeci ubi Spiritus loquitur, ibi spiritum minime quaeramus *(I)*! O utinam a quovis Christi discipulo, peramanter Deum adloquentis Augustini verba saepius effata ex animo: *sint castae deliciae meae Scripturae tuae*!

(1) 2. *Timot.* 3. 15. 16.

ILLUSTRATIONES.

(*A*) Hoc fine, hac etiam intentione, sacra Scriptura perscrutanda est, et docenda, et etiam audienda; hoc est, ut cum mera fide ad Patrem luminum accedamus, flectendo genua cordis nostri, ut ipse per Filium suum, in Spiritu sancto, det nobis veram notitiam Jesu Christi, et cum notitia amorem ipsius, ut sic ipsum cognoscentes, et amantes, et tamquam in fide solidati, et in charitate radicati, possimus ipsius sacrae Scripturae nosse latitudinem, longitudinem, altitudinem, et profunditatem: et per hanc notitiam pervenire ad plenissimam notitiam, et excellentissimum et excessivum amorem beatissimae Trinitatis, quo Sanctorum tendunt desideria, in quo est status et complementum omnis veri et boni. S. Bonaventura *Breviloqu. in proem.*

(*B*) Nullus conveniens est ejus auditor, nisi humilis, mundus, fidelis, et studiosus. Ideo sub cortice literae, aperte occultatur mystica, et profunda intelligentia, ad comprimendum superbiam, ut ipsius profunditate in humilitate literae latente, et superbi comprimantur, et immundi repellantur, et fraudolenti declinentur, et negligentes excitentur ad intelligentiam mysteriorum. *Loc. c. de profund. S. Scriptur.*

(*C*) Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant. *Scribimus indocti, doctique poemata passim.* Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent antequam discant. Alii adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris literis philosophan-

tur. Alii discunt, proh pudor! a feminis quod viros doceant: et ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, immo audacia, edisserunt aliis quod ipsi non intelligunt. Taceo de mei similibus, qui si forte ad Scripturas sanctas, post saeculares literas venerint, et sermone composito aurem populi mulserint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant: nec scire dignantur, quid Prophetae, quid Apostoli senserint; sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia; quasi grande sit, et non vitiosissimum, docendi genus, depravare sententias, et ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem. S. Hieronymus *Epist.* 53. *ad Paulin. n.* 7.

(D) Multis et multiplicibus obscuritatibus et ambiguitatibus decipiuntur qui temere legunt, aliud pro alio sentientes; quibusdam autem locis quid vel falso suspicentur non inveniunt, ita obscure quaedam dicta densissimam caliginem obducunt. S. Augustinus *de Doctr. Christ. lib.* 2. *n.* 7.

Duabus autem caussis non intelliguntur quae scripta sunt, si aut ignotis, aut ambiguis signis obteguntur. Sunt autem signa vel propria vel translata. Propria dicuntur, cum his rebus significandis adhibentur, propter quas sunt instituta. Translata sunt, cum et ipsae res, quas propriis verbis significamus, ad aliud aliquid significandum usurpantur, ec. *loc. c. n.* 15. *Ejusdem praeclarissimi Patris egregium opus* de Doctr. Christiana *ex integro versandum: ibi enim, praesertim* 2. *et* 3. lib., *quidquid, ad Bibliorum intelligentiam, de hujusmodi* Signis *sibi postulet explanari, abundantius quisque adinveniet.*

(E) Distinguamus ergo qui sit modus interpretandae allegoriae, quae per sapientiam dicta creditur in Spiritu sancto: utrum a visibilibus antiquioribus ad visibilia re-

centiora eam perducere sufficiat; an usque ad animae affectiones atque naturam, an usque ad incommutabilem aeternitatem: an aliae significent gesta visibilia, aliae motus animorum, aliae legem aeternitatis; an aliquae inveniantur, in quibus haec omnia vestiganda sint. Et quae sit stabilis fides, sive historica et temporalis, sive spiritalis et aeterna, ad quam omnis interpretatio auctoritatis dirigenda sit. Et quid prosit ad intelligenda, et obtinenda aeterna ubi finis est omnium bonarum actionum, fides rerum temporalium. Et quid intersit inter allegoriam historiae et allegoriam facti, et allegoriam sermonis, et allegoriam sacramenti. Et quomodo ipsa locutio divinarum Scripturarum secundum cujusque linguae proprietatem accipienda sit. Habet enim omnis lingua sua quaedam propria genera locutionum, quae cum in aliam linguam transferuntur, videntur absurda. Quid prosit tanta loquendi humilitas, ut non solum ira Dei, et tristitia, et a somno expergefactio, et memoria, et oblivio, et alia nonnulla, quae in bonos homines cadere possunt, sed etiam penitentiae, zeli, crapulae nomina, et alia hujusmodi in sacris libris inveniantur? Et utrum oculi Dei, et manus et pedes, et alia hujus generis membra, quae in Scripturis nominantur, ad visibilem formam humani corporis referenda sint: an ad significationes intelligibilium et spiritualium potentiarum, sicut galea, et scutum, et gladius, et cingulum et cetera talia. Et quod maxime quaerendum est, quid prosit generi humano, quod sic nobiscum per rationalem, et genitalem, et corporalem creaturam sibi servientem divina providentia locuta est. Quo uno cognito, omnis ab animis protervitas puerilis excluditur, et introducitur sacrosancta religio. S. Augustinus *de vera Relig.* c. 50. n. 99.

(*F*) *Regula IV. Indicis.* Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri; hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum judicio Parochi vel confessarii Bibliorum, a catholicis Auctoribus versorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei, atque pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant.

Qui autem absque tali facultate ea legere, aut habere praesumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit. *Pag. x.*

In observatione tamen facta jussu Clementis VIII. ad Regulam VI. *et* XI. *sic habetur.* Animadvertendum est circa suprascriptam quartam regulam Indicis fel. rec. Pii Papae IV. nullam per hanc impressionem, et editionem de novo tribui facultatem Episcopis, vel Inquisitoribus, aut Regularium Superioribus concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cum hactenus mandato, et jussu Romanae, et universalis Inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentias legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias sacrae Scripturae, tam novi, quam veteris Testamenti partes, quavis vulgari lingua editas. *Ibid. pag.* XIV. *Huic accedit additio ibid. apposita.* Quod si hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica sede approbatae, aut editae cum annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus, vel ex doctis, catholicisque viris, conceduntur. *Decr. Sacr. Congr. Indicis* 13. *Junii* 1717.

(*G*) Nonne, tamquam duo Seraphim clamant, ad invicem concinentia laudes Altissimi, *Sanctus*, *Sanctus*,

Sanctus Dominus Deus Sabahot, ita duo Testamenta fideliter concordantia sacratam concinunt veritatem? S. Augustinus *Epist. 2. ad inquisit. Januarii c. 16.*

In veteri Testamento est occultatio Novi, in novo Testamento est manifestatio Veteris. S. August. *de cathechiz. rud. c. 4.*

(*H*) Meditare quidem, atque animo versare in rebus divinis, caeterum intra fines te continens. Loquere tu quidem ea quae sunt spiritus, ac si fieri potest, ne aliud quidem quicquam loquere, immo etiam crebrius loquere, quam respira (pulcrum enim ac divinum est per divinarum rerum commemorationem ad Dei amorem perpetuo exstimulari) sed ita, ut ea, quae tibi imperata sunt, cogites. Ne Patris naturam anxie inquiras, Unigeniti ortum, Spiritus sancti gloriam et potentiam, unam, inquam, et eamdem in tribus personis Deitatem et claritatem, individuam illam naturam, ac confessionem et gloriam, spemque hominum fide praeditorum. Verba ea, quibus simul cum lacte imbutus es, mordicus retine: sermonis autem et disputationis curam eruditioribus manda. Satis superque tibi est fundamentum habere: superstruat architectus. Sufficit tibi cor pane fulcire: obsonia copiosis et locupletibus relinque. Nemo sanus ac prudens te accusabit, si splendide ac magnifice coenam non instruxeris; verum si vel Christi discipulo vel cuipiam alii panem non apposueris, aut aquae poculum non porrexeris, cum id tibi per facultates tuas liceat, tum demum jure ac merito condemnaberis. S. Gregorius Nazianz. *de moderat. in disput. serv.*

(*I*) Usitata ne spernas, novitatem ne captes, ut nominis splendorem tibi apud vulgus concilies. Erudiat te consilio Salomon: melior est, inquit, exigua pars cum

securitate, quam magna cum infirmitate et incertitudine. Et melior est pauper ambulans in simplicitate sua (nam insignis quoque et erudita est haec paroemia) et qui sermonis ac scientiae inopia laborat, simplicibusque verbis innititur, atque in illis tamquam in parva et tenui rate salutem assequitur, quam fatuus labiisque perversus, qui disputationibus et argumentis inepte atque imperite confidit, ac Christi Crucem, rem omni sermone sublimiorem, per disserendi facultatem evacuat, ubi probationis et argumentorum infirmitas veritatem imminuit et labefactat. *Loc. c.*

Profecto legem quoque apud nos constitutam esse oportebat, quae juberet, ut quemadmodum olim apud sapientes Hebraeos a quibusdam Scripturae sacrae libris juvenes arcebantur, utpote tenerioribus adhuc minimeque firmis animis haudquaquam profuturis, eodem quoque modo non quibuslibet, nec semper, sed certo tempore, ac certis hominibus, de Fide disputandi potestas fieret, iis nimirum, qui nec ingenio sunt omnino segni et ignaro, nec rursum, iis, qui inexplebili quadam aviditate laborant, gloriaeque studio ducuntur, atque in pietate ferventiores sunt, quam par sit: atque hi quidem illic collocarentur, ubi nec sibiipsis, nec aliis noxii essent; iis autem, qui modesti ac vere compositi et temperantes essent, libera disputandi facultas daretur: promiscua vero multitudo ab hac via, et loquacitatis morbo, hac tempestate vigente, abducta et aversa, ad aliud virtutis genus minus periculosum traduceretur, ubi et segnities minorem labem ac detrimentum afferret; et insaturabilis aviditas pietatis laudem haberet. *Loc. c.*

EPISTOLA VIII.

De theologicis disciplinis.

Deum, universorum conditorem, humani generis reparatorem, omnis largitorem gratiae, bonorumque omnium datorem beneficentissimum: mysteria sensibus impervia, spiritalia, ac prorsus divina, gentibus abscondita, nobis concredita, eaque Spiritus sancti revelatione, Ecclesiae universae, miraculorum testimoniis tutissime roborata, ephebis ad rem sacram evehendis ostendimus tandem atque proferimus. Magna sane facultas, quae vero ac proprio sapientiae nomine merito decuit nuncupari (1), quippequae dignitate ac praestantia tantum ceteris videatur disciplinis anteire, quantum aberrantium sensuum indagines et versatilem humanae mentis industriam exploratissima ac immutabilis veritas ipsa praecellit *A*). Etenim *Dei scire prudentiam, et in abdita ejus intrare, et sensum Creatoris inspicere* (2), haec, inquam, cunctarum optima facultatum, qua fidem ab haeresi, a superstitione relligionem sacrorum, Ecclesiam Christi a conventibus sathanae, a commaculatis morum commentis regulas probitatis atque justitiae discernere, qua rectum ad beate vivendum iter adinvenire, quod suis nullibi votis tumidae philosophantium turmae consequi potuere, et qua datum pertingere ad perennem usque felicitatem. Hasce propterea divinarum rerum disciplinas magno et alacri aggre-

(1) S. Augustin. *de Trinit. lib.* 14. c. 1.

(2) S. Hieronym *Epist.* 155.

diantur animo in sortem Domini candidandi: atque ut rectissimo in dies gressu proficiant, a noxiis quibuscumque cupiditatibus expediti, etenim *corona sapientiae timor Domini* (1), non quaestus, non ambitionis, et scientiae inflantis gratia, easdem turpiter appetentes, ad verae sapientiae fores optimum sibi studeant finem praeponere, ut nempe coelestia tantummodo inquirentes, Dei gloriam, suam, aliorumque salutem validioribus aveant intendere viribus ac promovere *(B)*.

Quam ab solo naturali lumine ejusque notis principiis dimanantem vocitant theologiam, de qua paucula jam delibavimus, et infusam, quae divinitus sanctissimis quandoque hominibus animo illapsa est, haud inquirimus, sed de acquisita facultate quaedam praenotanda operae pretium existimamus. Eam sane in positivam, scholasticam, et mysticam communius dividunt: positivam appellitant, quod sua ponat fundamenta, sanctam nempe Scripturam et fidei mysteria, atque ex iisdem sacris litteris, Apostolicis traditionibus, et Ecclesiae dogmatibus, enarrativo dicendi genere, nulloque ab arte ratiocinandi ordine quesito aut praesidio, ab revelatis iccirco principiis catholicas referat doctrinas, suasque invehat positiones; quum vero ad dialecticas praeceptiones et scholae methodum positiva ipsamet accomodatur, eam ideo scholasticam nuncuparunt: e quibus utramque nonnisi disputandi ratione inter se differre conspicimus. Quapropter laudabilis jamdiu invaluit mos utriusque insimul conjungendae; quam si gravi solutaque oratione quae primum ad positivam attinent expositis, dein ex theologicis fontibus, in iis, quae ad scholasticam, argumentationes depromantur, sive ad divinarum rerum notionem ad-

(1) *Eccli.* 1. 22.

struendam, sive ad morum regulas, unde pro objecti diversitate speculatrix et moralis distinguitur theologia, omne tulisse punctum jure meritoque dijudicent.

Age nunc, lectissime Praesul, quia quum primo scholasticen ediscendam fore consuluero, confestim scioli quipiam cachinnos tollent, utpote qui dicteriis eamdem ubique irrideant, nec non e sacro scientiarum albo autument expungendam. Nego enimvero. Novimus quidem et nos, homines aeque ac aetates internoscere, et ab intemperantibus secernere moderatiores; novimus, quot e priscis philosophorum anfractibus in ecclesiasticas irrepserint disciplinas, easque quodammodo dehonestarint, subtilitatis argutiae futilesque cavilluli, tecnas complexionesque dialecticorum, et obsoleta vocum et barbara, nugas, blateras, nil proinde, optime novimus. Nec insuper nos fugit, sicut in ipsam quoque dogmaticam, qua Patrum sententiae atque placita ad severiorum quandoque trutinam revocantur, ita et in adiaphoram, qua scholarum systemata, opinionesve, salva fidei integritate, plurimis quaestionum involucris exagitantur, acrius quam par esset sese ingenia dudum exercuisse, et ardore nimio invicem digladiantia, ad contentionem usque vel scandalosam exarsisse. Attamen et subter scoriam aurum delitescere purissimum, et ineptas illas quaestiunculas, prolixas confutationes, lutulentam verborum faecem, pravo saeculi scriptorumque vitio, numquam vero theologicae facultati tribuenda, nemo unus inficias iverit. Necessitatem insuper vim vi repellendi protinus accessisse, cuique compertum est. Quum enim undique temporum insurrexerint haeresum monstra, et *per philosophiam et inanem fallaciam* (1) catholicam tentarint

(1) *Coloss.* 2. 8.

convellere veritatem, nostros ideo compulerunt, ut pari-li dimicantes palestra, subtilius et accuratius quaestiones singulas inquirerent, ac adornarent. Exinde vero, quanam virtute in adversarios strenuissime acuerint arma, in eosque tela retorserint, fidem adstruunt praeclarissimam et unus omnium Angelicus Doctor, de quo Bucerum dixisse, *tolle Thomam, et Ecclesiam dissipabo*, memoriae proditum, et de polemica seu bellatrice facultate egregie promeritus Bellarminus, de cujus controversiarum libris, aut nullum perfectiorem esse possibilem, aut e plurimis hac super re in posterum exaratis nullum non superasse modo, sed ne ipsos quidem aequasse, jure dictum (1). Itaque quicquid temere in scholasticas disputationes crassioris minervae nebulones effutiant flocci habentes, cum aliis morosis criticis saniori judicio praeditis litem facile componimus „. Qui enim dialecticam et philosophiam in theologo damnant, de illa, quae inanis est, fallax, et ad decipiendum, a gentilibus et ab haereticis in usum assumpta, verba faciunt; eosque ut eam evitent consulto admonent, qui ad solius humanae rationis trutinam pensitant fidei mysteria, ordinem excedentia naturae, et quae superna revelatione didicimus subjiciunt philosophicis commentationibus: cum hae subesse divinis revelationibus potius debeant, et in obsequium fidei captivari (2) „. Ceterum, postquam configendis novatorum haeresibus, catholicas veritates legitimis propriisque ab fontibus haurire compulsi, easdem qua par est dignitate scriptores nostri pertractarunt: postquam aliquando peripatus exscusso pulvere, mutatis fere vestibus gravior pulcriorque apparuit physio-

(1) Murator. *Buon gusto.* Andres *Stor. d'ogni letter.*

(2) Berti *de theol. disc. in prol.* c. 2.

logia, plurima theologorum turba percrebuit, quae positivam summa cum laude scholasticae, *necessario* (1), coagmentavit; et philosophicis commentis maxima ex parte remissis, ac tortuosis disceptatiunculis verborumque aucupiis vale dicto, recto argumentandi ordine et nexu, styli castigatioris delectu, idiomatumque peritia, Ecclesiae sanctae veritatem, ab callidis non modo haereticorum aliorumque impiorum hominum insimulationibus validissime vindicare, sed patulum quoque tramitem, veteribus tribulis expurgatum, ad eam facilius adsequendam tuendamque ecclesiasticae juventuti praebere visa est.

Unam tamen esse, suas inter hasce divisiones, theologicam facultatem, ejusque diversos palmites unam prorsus arborem, praegrandem sane ac speciosissimam efformare in comperto est. In sacris idcirco disciplinis candidandos recto cuidam absolutoque, suis arcte connexo partibus sibique omnino congruenti systhemati assuescere oportet, adeo ut ne tortilis quidem ramusculus ab magno stipite degener suo vel minimum videatur excedere. Equidem ferme innumeros duobus ab hinc saeculis nominis effloruisse theologos homines, in multis excellentiores, in nonnullis autem suspicione aliqua laborantes, ni periculosiores mavis dicere, ausit nemo inficiari; itemque adhuc videre est, sententias utique plurimas, vel mira pietatis unctione fucatas, vel sensis obnoxias ambiguis, vel ardore nimio ab studio partium adsertas, praestantissimis contra irrito labore adnitentibus, ita semel iterumque altius egisse radices, ut ad amplectendam veritatis tesseram adstruendamque, haud mediocri spiritus fortitudine opus esse, nequeat dissimulari. Quamobrem,

(1) Sixtus V. *in Constit.* 76.

ut armonicum cunctarum partium nexum, quo omne rei theologicae aedificium firmius ac pulcrius assurgere queat, tuto riteque adsequamur, ab intemeratis, esolidiori Ecclesiae petra scatentibus, inoffensa manu, haurire fontibus properemus.

Hinc, sicuti clypeos, et galeas, armorumque singula, quibus in hostes dimicandum, militem primitus dignoscere oportet ac pertractare, sedulam theologicis exercitationibus operam navaturos, tamquam prae manibus, habere primum necesse est principia illa, e quibus, ab inconcussis ceu fundamentis, positiones cunctae promanant, ad easdemque adserendas depromuntur probationes et argumenta: videlicet, tamquam sacrae facultatis propria, Scripturae sanctae, ac traditionum Christi et Apostolorum, Catholicae Ecclesiae, Conciliorum ac Romanorum Pontificum, Patrum theologorumque auctoritatem, et tamquam adscititia, rationem quoque naturalem, *quae per omnes scientias, naturali lumine inventas, latissime patet, et philosophorum auctoritatem, qui naturam ducem sequuntur* (1), sincera demum et graviora humanae historiae testimonia; quibus sane adsequendis, in opere *de locis theologicis* egregie Canus pertractans, quod etiam in scholarum usum compendiarie ad clariorem ordinem recusum est, apprime consulendus.

Num vero, Antistes clarissime, quos in tanta rei theologicae scriptorum copia praeferendos censuerim, sciscitaberis? Utique scholasticorum antiquiores, rude olim donatos, praetereuntes, eorum quoque volumina, bonis jam omnibus, luto satis deterso, a subsequentibus dudum expoliata, nunc autem pulverulenta tineisque facile pertun-

(1) Melch. Canus *de loc. theol. lib. 1. c. ult.*

denda, sinamus adhuc in bibliothecis ociari. Porro medios, quos inter, polemicorum facile princeps Bellarminus, Suaresius, Petavius, aliique plures prae ceteris eminent, et quaestionum gravitate ac delectu, et multiplici eruditionis merito percelebres, plurimi quidem faciendos ambigat nemo: eosque propterea, veluti provectiores ac emeritos, saepius proficientibus consulendos versandosque relinquimus. Superest, ut vel aevi nostri recentiorum scriptis manum admoveamus. Attamen optione data, ut inter plurimos, nomine ac praestantia claros, unum vel alterum ceteris anteponendum arbitrer, nimium quidem vereor sinistro abripi judicio, sed certe animis haereo. Equidem, quam Contensonus, immaturo praereptus fato, posthumam reliquit, *mentis et cordis theologiam*, ad dogmata atque mores doctrina aeque ac pietate conspicuam, et Du-hamelii *speculatricem, et practicam*, in qua scholae quaestiones ad positivam vel primum accessere, tametsi candidandis nostris in praesentiarum instituendis haud accommodatas crediderim, hae sane permultis in pretio habitae; Tournelii *cursum*, quem Coletus dispari quidem gressu peregit, rerum profunditate perspicuaque elegantia celebratum, praeferunt alii. Quis vero nesciat et Natalis ab Alexandro, et Herminierii, et Juvenini, et Witassii egregia nomina, quorum tamen cursus, summas, commentarios, institutiones, tractatus, licet tamquam praedivites sacrae scientiae thesauri a cunctis suspiciantur, plusculas haud effugisse notas compertum est? Haberti *dogmaticam et moralem*, ternis jam denunciationibus, perinde ac si janseniana respersam labe, primum exagitatam, exin ab auctore suo vindicatam, mox vero transgressis alpibus acceptam Italis, omnes norunt: quae, si prolixa super juribus et comitiis Gallicanis, et re-

petita nimium excipias, nec immerito usqueadhuc multorum teritur manibus. Doctrina magis quam Vaticana purpura insignes, Norisium et Gottum, alterum quidem magni Augustini et primaria Ecclesiae dogmata praeclaro lumine et omnigena ernditione conlustrantem, alterum vero Thomam suum undique referentem, prorsus admiror; novi Antoenium, cujus *speculativam et dogmaticam*, modo fere desuetam, in Galliis aliquandiu fertur obtinuisse: novi Charmesium, Cocaleum scio: Thomistas Gazanigam, Cerbonium, alios mitto; at hisce et recentioribus ceteris suâmet salva celebritate (quos erit venientis aevi laudibus itemque criticis exaequare) nescio quo pacto libentius ad Bertium nostrum evocor atque propero. Sive enim humanissimi jam praeceptoris mei abreptus amore, sive praefulgenti sapientissimi viri obsequens nomini, *theologicas* ejus *disciplinas*, quicquid in eas clandestini insimulatores iterum iterumque irrite criminarint, validioribus adsertas vindiciis, rerum peritia, copia, delectu, judiciorum prudentia et maturitate, omnimoda ubivis eruditione, novaque methodo disertissime concinnatas, non possum enixis commendationibus haud celebrare: dignissimae prorsus, quae in Florentino Praesulum conventu (cujus aegre adhuc nec absque indignatione reminiscimur) nisi aliquorum sublesta fides inani quidem objectione perperam obstitisset, etruscis clericis instituendis praesignarentur.

Nec ideo Bertium praeostendimus, perinde Augustinianis, vel Aegidianae scholae auspicato litare, eorumque systhemata opinionesve singulas adstruere videamur; quorumcumque enim scriptorum volumina ita pervolvenda esse arbitramur, ut neque cuncta generatim, neque ex omnibus, quae doceantur, singula indiscriminatim ample-

ctantur; nec pariter haec adnotavimus, perinde ac si magni Augustini *tutissima et inconcussa dogmata* ventilare propemodum auderemus: illius namque adseclas neque decipi, neque errare, nisi quando vel ejusdem praeclarissimi Ecclesiae luminis veriora intelligere sensa nolint, vel iis malint abuti, probe scimus: ejusque catholicissimas tum ad praedestinationem, cum ad gratiam doctrinas, tam super divinorum attributorum et Incarnationis tractatibus, quam in universas morum regulas summopere influxisse, minime ambigimus. Id tantum liceat innuisse, propria singillatim sectari alumnis Augustinensibus integrum esse: nobis vero, quum ipsius egregii Doctoris vel textus aliqui inter sese conçiliandi, vel obscuriora quaeque elucidanda obversentur, aliorum quoque Patrum adeunda volumina, praecipue Fulgentii et Prosperi, ac prae ceteris Angelici Thomae interpretationes apprime consulendas.

Jam vero, an expedire videatur magis, propria scripta exarare, eaque praeceptores dictare tyronibus, quam aliena edita opera enucleare, suisque aliorumve observationibus, scholiis, corollariis, modificare, augere, locupletare, hic loci occurreret inquirendum. Etenim opinantur nonnulli, lucrum ex dictandis praecipuum magistris obventurum, quippequi in pertractandis, quae progressive occurrant, materiis, profundiori adigantur studio, assiduaque docendarum rerum meditatione adlaborare: qua sane ratione ad proprias validiori efficacia lucidoque ordine insinuandas discipulis ideas, necnon ad rectas appositasque ratiocinandi formas, firmiori prorsus possessu potentique facundia, arbitrantur optime convalescere. Alterum quoque ipsis adolescentibus emolumentum accedere: quoddam videlicet, utcumque confusum, dictatorum veluti embryon sibi statim, exscribendo, praeformare, quo se-

dula postmodum praeceptoris voce extricando satis, nitidaque in luce componendo, alte infigantur animo tradita: idque insuper animadvertunt, ephebos plerumque averti, aut nimium saepius urgeri, quum sibi praeponantur volumina, quae, licet compendiaria, semper tamen ingentia sibi ac invisa, juvenum, si praesertim obtusioris minervae, ingenia deterreant. Alii rursus praejudicia e dictandis plurima autumant promanare: et factam discipulis jacturam temporis, et menda haud quidem minima, quae vel eorum praecipitatione, vel oscitantia plerumque exciderint, et deperditas negligentia, infirma valetudine, aliisque de caussis praelectiones, improbandam dictandi methodum aperte commostrare; quemvis praeceptorem, aut sua cunctis praelo cusis putasse meliora, et eadem, proprio e sapientum placitis ratihabendo judicio, typis dare publico debuisse bono, aut deteriora, et sibimet, juventutique instituendae fucum fecisse. Utiliorem utique fore magistrum, qui classica doctorum opera, clarius, fusius, critice, sategerit explanare: et methodice per antiphoras, quos actu explicaverit, tractatus iterum iterumque proponere queat, a discipulis voce ac scriptis responsa insimul exigens, ut continua traditae sibi disciplinae exercitatione se vere ad eam profecisse congaudeant.

Siquando autem ejusmodi quaestionis definiendae, quidquid de illa sit, abstinuerimus, alterutri tamen inhaerere methodo gnaro cuique integrum esse praeceptori ingenue fatebimur, e cujus ingenio et viva, uti dicitur, voce totum optime docendi negotium pendere arbitramur *(C)*. Et plane vel unius, vel alterius bini hujusce systhematis sectatores plurimos aetate hac nostra in re theologica exscultissimos, ad eamque edocendam promeritos et novimus, et sincera qua par est commendatione pro-

sequimur, nec eis quicquam dectractum volumus. Perbelle omnes undique inclamare, o utinam aliquando succosum, brevem, cunctis expertem periclis, nitidumque, absolutumque cursum haberemus, audire est; attamen re vera fas praeter scriptitata multiplicasse, et quamvis plane laborato quodam philauthiae ac novitatis tegmine veluti dealbatas, nonnisi plerumque veteres cantitasse notas, fateamur oportet. Quandoquidem vero clerici his, quae praelo cusa prostent, operibus efformandi, talem eis ductorem exquirimus, qui nullo praesertim scholae alicujus amore praeventus, nec tantum uni scriptorum adhaereat prae ceteris, neve omnes acervatim in cunctis, quae docuerint, amplectatur. Quamquam enim in omnibus, quae ad positivam, et in plerisque ad scholasticen, unam eamdemque doctrinam apud orthodoxos auctores pateat contineri, quum tamen alter tum in quibusdam sibi propriis tractatulis, tum ratione methodi, et locupletioris gratia eruditionis, quandoque alteri sit praeponendus; sapientis iccirco erit magistri, inter tanta illustriorum virorum promptuaria, ab criticis positiva, a scholasticis dogmatica, necessaria ab utilibus probe distinguere, certa ab incertis separare, et vanis declinatis quaestiunculis, potiores, minusque disceptationibus obnoxias doctrinas accurate deligere: atque nitidas, si forte libeat ac deceat, veluti institutiones numeris omnibus absolutas, in bonam adolescentium frugem, consarcinare. At sicut inani exsuccoque libello, quo breviora ac prorsus jejuna ad interrogationes responsa depromantur, nequaquam contenti erimus, leves eapropter quorumdam *synopses*, *medullas*, *gramaticas* e tyronum manibus procul pellendas arbitrantes; ita nec fere omnibus praegravanda incipientium ingenia. Cuncta sane, quae theologicas positiones

complectantur, eis adamussim ac dilucide enucleanda sunt: et momenta et argumenta solidiora, quibus ab haereticorum criminantibus catholicae fidei dogmata vindicentur, eorumque nefarii denudentur errores ac penitus conterantur, ostendenda satis; e scholarum vero controversiis, quae passim ac prolixius quandoque ventilantur, paucula tantum addiscentibus indigitanda, ut postmodum, sacrorum stadio laudabiliter emenso, eadem gaudeant serio repetere, scrutari singula, et prudentes philologi pensitare. Quapropter nullo cujuslibet amore scholae praeventos, nec abs re, dixerim praeceptores; etenim quantumvis gymnasia cuncta, eorumque systhemata, adseclas praeclarissimos meritis frequentemus obsequiis, candidandos tamen nostros, adiaphorae curricula propere transilientes, apathes omnino, nec utrivis decertantium parti vel minimum vergentes exoptamus.

Viros profecto doctissimos sinamus in suo sensu abundare; nos vero in iis, de quibus nil usqueadhuc Ecclesia decrevit, illos utique pervolutemus auctores, qui doctrinae vitaeque integritate probentur, ab eisque opiniones suas communiores magisque laudatas ultro mutuemur: quum autem inter sese discrepantes eosdem noverimus, caute, prudenter eorum mentem adsequuti, vim delectumque argumentorum, queis eorumdem placita niti confidant, prorsus admiremur; verum ejusmodi sat jurgia nosse: atque ut nullae pugnantium factioni adjici videamur, quaedam potius, tamquam humanae facultatis viribus impervia, ingenuo lubentique animo fateamur nescire, a quibus, volente Deo, et ipsa magistra veritatis Ecclesia definiendis abstinuit. Multa profecto, communiora quoque atque obvia, rationis acumine comprehendi nequeunt, quae nihilosecius haud haesitanter amplectimur,

rataque habere adfirmamus: eccur non et alicui supernaturali veritati, quae mentis tenuitatem excedat nostrae, adhibenda fides *(D)*? nonne ab vitae superbia, qua, infirmae tantummodo innixi rationi, penetrare divina praesumpserint, et ab repugnanti intellectus pervicacia, se Dei verbo submittere abnuentis, abrepti in praeceps haeretici ac philosophantes novissimi? Quid namque refert, si scholae potius Augustinensium pro victrici delectatione strenue dimicantium, quam physicae Thomistarum praedeterminationi, vel congruismo quoque Suaresiano, ad gratiam per se efficacem cum libero hominis arbitrio conciliandam, quis aperte subscribat, et tricipitis systhematis unum prae aliis, tamquam pro aris focisque, nitatur adstruere? nonne post celebres *de auxiliis* congregationes, lis adhuc sub judice est, adeo ut integrum cuique sit quam maluerit tenere sententiam, ac, ne quaestionem exagitantes dicteriis et censuris pessundent adversarios suos, maxime vetitum? Atque utinam, aestu nimio, haud multum servata saepius caritate, in suis defensandis opinionibus abducti, a dicacitate plurimi temperassent, neve conviciis ac turbis, christiano orbe indignante, cuncta movissent! Ardua sane, periclis obsita, ac prorsus inutilis tentatur alea, si quando, tot exantlatis laboribus, nil ad Ecclesiae aedificationem, animarumque salutem aliquando praestitum, fateamur necessum est. Permultos immo, ab unius studio partis illectos primum, mox vero prurientes auribus, et plus sapere quam oportet sapere autumantes, in deterius paullatim deflexisse, et praecipiti casu excidisse tandem e cathedra veritatis, secumque pusillorum aeque ac validiorum plures, vel abreptos auctoritate, aut specie recti deceptos, misere corruisse, ne remotiora commemorem, domestica quoque satis superque commostra-

runt exempla; tuque, Praesul vigilantissime, ac meritissimi Antistites confratres tui, qui personam hominis neutiquam respicientes, neve quamlibet jacturam veriti, in disciplina Dei stetistis nuper pro inexpugnabili muro, experti estis.

Par super hujusmodi, quae passim in scholis instituuntur, quaestionibus, judicium esto, quas tantum *sapere ad sobrietatem* (1) aequum atque laudabile. Quamvis enim, inter addiscentes, aliis, et quidem plurimis, qui crassioris ingenii, circa difficultates sibi expositas nulla unquam aut raro suboriatur dubitatio, ita ut quod contra opponant, non eis quidquam obveniat: alii tamen perspicaciores, statim ac quaestionum status sibi fuerint explanati, mox argumentis, quae rei propositae videantur adversari, adeo percelluntur, ut etiamsi cuncti a praeceptore extricentur nodi, ac difficultates quoquo modo diluantur, nec satis nihilosecius acquiescant. Unde saepius evenire comperimus, ut et rationibus et discursu praeter fas et momentum per se difficilis materies, veluti membratim ad trutinam revocata, nova interdum obvolvatur obscuritate, ac aberrantes hujusmodi praeceptiones *in vaniloquium* convertantur (2). Nonnullos re vera novi egomet juvenes acrioris acuminis presbyteros, qui nullatenus a magistris opportune praedomiti, de re qualibet e sacris disciplinis movere lites, et pro una vel altera, deteriori quandoque, sententia, subtilioribus argutiunculis, mordicus decertare, in deliciis habent; quae nisi versatile pronumque ad fabulas ingenium, ridiculum sane garrulumque praefracte rixandi pruritum, et inflantem spiritum haud obscure praesignat, aut saltem *quaestiones praestant*

(1) *Rom.* 12. 3. (2) 1. *Timot.* 1. 6.

magis, *quam aedificationem Dei*, *quae est in fide* (1). Itaque prudentissimos habuerim praeceptores, qui cupidum ecclesiasticae juventutis ardorem anxiamque curiositatem, loco ac tempore, pacatae disquisitionis moderamine satis attemperent (*E*); alumnosque suos saepius praemoneant, in quibuscumque agitandis quaestionibus ea, quae inflat, ac vi pugnando ingratiis nititur praevalere, veluti dominandi libidine caute abstinendum, itemque a cunctis, quae diversa opinantes irridere, provocare, lacessere aliquo modo videantur, cavendum omnino (*F*); vilioribus sane istiusmodi adminiculis jurgiisque haud unquam indigere veritatem, et nonnisi propria virtute modeste semper egisse triumphum, e disertissimi Nazianzeni *de moderatione in disputationibus servanda* peregregia Oratione utinam saepissime legenda plurimis, abunde patet. Cunctis denique coeleste monitum illud memoratum velim, *contentiones et pugnas legis devita*, *sunt enim inutiles et vanae* (2).

Verum haec, inquis, de addiscentibus: quaenam de illis, quos jam praefecerit Dominus familiae suae? Memineris quaeso, vir praestantissime, de ruralibus praesertim pastoribus heic nobis rem esse: quos si ad sacras facultates satis excultos apprime exoptavero, nequaquam tamen in eis *eminentem scientiam*, qualis *in Praelato bene est desideranda* (3), generatim requirendam fore arbitrabor. Non me quidem latet, plurimos Etruriae nostrae, ruri quoque, pastores, postremis praesertim hisce temporibus, singulari sacrarum disciplinarum, ac selectissimae eruditionis merito valde praecellere: enixisque ii gratulandi votis,

(1) *Loc. c.* 1. 4.
(2) *Ad Tit.* 3. 9.
(3) *Cap.* Cum nobis *tit.* de elect. *apud Gloss.*

quippequi paroecialis regiminis dignitatem decorent adeo ac exornent, ut perutile fulgidumque ceteris sese praebeant exemplar. At quoniam sapere est *unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei* (1), scientiam ideo minori hierarchae sufficere *competentem* (2), severioris etiam sententiae theologis visum est. Hac vero excultum existimant, qui universaliora calleat elementa ac principia, e quibus ad praxim conclusiones deducere queat, in difficultatibus, quibus haesitet anceps, num generalis regula, quae ipsum non latet, singulari quam tractat materiae debeat applicari, sapientiores, ut errandi videatur omne discrimen excludere, consulturus (3). Equidem pro rarioribus quibusdam ad morum disciplinas casibus, doctiores, quotiens opus fuerit, consulendos, dabo ego non invitus; quoniam vero aliter de scientia speculatrice sentiendum fateri necesse est; competentem ad hoc scientiam pastoris in eo sitam ducimus, ut videlicet omnes singulasque theologicas positiones mature, potenter, ac prorsus optime noverit, adeo ut articulos fidei et Ecclesiae dogmata uberrime, dilucide, ac utiliter valeat sibi concreditam Christi plebem docere: et validiora itidem argumenta, quibus catholicae veritates ab impiorum versutiis et criminationibus invictissime adseruntur, inconcussam veluti pharetram tutissimamque, prae manibus habeat. Quo sane pacto blaterantium ad insipientiam, eruditorum ad suam aliorumque perditionem (eorumque, florentissimi aevi nostri heu turpem notam! haud credibilis numerus, qui, praesertim dum rusticantur, lepide et perbelle in relligionem

(1) *Ad Rom.* 12. 3.

(2) Bened. XIV. *in Encycl.* Apostolica *Bull. T.* 3. *p.* 84. §. 21. Idem *Lib. Instit. n.* 36. §. 2.

(3) Habert *de Hierarc. c.* 8. §. 1.

sacrorum debaccantes, scurrili quodam verborum lusu ipsos quoque pastores non raro perstringunt) procacem retundere licentiam, et *omni poscenti rationem de ea, quae in nobis est, spe* (1), gaudeant omnino facere satis. Quandoquidem autem technas et callida sophismata, queis recentiores philosophantium irrequieti ad nauseam usque Ecclesiam temere impetunt, vel ab antiquioribus ethnicorum haeresumque omnis aevi deliriis, elegantiori redditis dicacitate novis, passim mutuata, a Patribus ac doctoribus centies millesque profligata novimus atque contrita; pretiosis idcirco eorumdem sanctorum Patrum scriptis nocturna versandis manu diurnaque versandis ut sedulam dent operam, numquam pastorum studia evocanda satis. In illis quippe ad roborandam fidem tuendamque illustriora non modo testimonia et argumenta, sed etiam dogmata quaeque satis abunde demonstrata ac sancita, saniores insuper morum regulas, ac theologiae universae uberrima veluti semina invenire est. Quibus proinde ingentia Patrum volumina praesto esse nequeant (vix namque in parvulis rectorum bibliothecis unum vel alterum rarius datum reperire) et quas Argonnensis (2), ven. Card. Thomasius (3), et Tricaletius (4) edidere, adeundae lucubrationes nec non et egregium, quod nuper cl. Cigherius exhibuit, versandum opus, quo potiora ad dogmatum morumque doctrinas e selectis patrum thesauris dilucidantur (5).

Verum enimvero, plures utique, quibus insimul, Antistes optime, saepe indoluimus, statim ac paroeciale

(1) 1. *Petr.* 3. 18.

(2) *De recta legend. Patrum ratione.*

(3) *Institut. theol. antiqu. Patrum.*

(4) *Bibliot. man. Eccl. Patr. edit. Bassan.* 1783.

(1) *Vet. Patrum theol. univer. Florent.* 1791.

fastigium datum conscendere, pauculis ad conciones propediem sibi praefinitis, vel omnino vale dicere sacrorum studiis, videre est; atque utinam ab sacra quoque presbyteratus unctione inconsulto quipiam studiis relaxandis, ne dicam forte dimittendis, principium auspicarentur! Erubescerent quidem nonnulli stata praeter tempora in gymnasiis ulterius versari, et ad scientiae sibi raptim comparatae maturitatem, gravioribus praeceptorum documentis inhaerentes ac monitis, diem carpere, sibique traditis iterum iterumque superstruere meliora; doctoratus laurea donari ambitioso anguntur aestu, ut e turba discipulorum videantur ocyus prosilire: quandoquidem plurimos, quorum consuetudine honestissima usi sumus, dudum sacrarum disciplinarum stadio utiliter transgresso, senescentes quoque, multa quotidie addiscendi potius quam docendi sollicitos, clarissimorum virorum, quibus felici ea tempestate Pisana effloruit Academia, praelectionibus, ipsis tyronybus consociatos, sese lubenti animo subjecisse, jucundissima recordatione meminimus. Sin autem quod revera nesciant autument percepisse, hoc sane in quovis facultatum genere imbrobum quidem ac turpe, ipsaque pejus ignorantia, quae ideo praesumptione spiritus, errandique augescit periculo: eoque pacto maxima prorsus rei sacrae instare damna, tristissima experientia edocemur. Rursus, siqui feliciter, cujusmodi plerosque esse fide bona crediderim, sedulam assiduamque theologicis disciplinis navarint operam, et alterum vanissimae curiositatis scopulum iis cautissime praecavendum. *Nec aliam*, inquit Augustinus, *ad capessendam et obtinendam veritatem, viam munias, quam quae munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tamquam Deus vidit infirmitatem: ea est autem*,

prima humilitas, *secunda humilitas*, *tertia humilitas* (1). Vae plane cupido nimium, qui sapientiae et scientiae Dei incomprehensibilia, et hebetis infirmaeque mentis viribus impervia praesumpserit investigare! per fidem loquente Deo, humanam conticescere omnino rationem, fideliterque credere necesse est: etenim *accepto baptismo*, *credo quod nescio*, *et propterea scio*, *quia me scio nescire quod nescio* (2): bona proinde ac demissa, prout expedit atque decet, voluntate, una cum Lactantio profiteamur, quia „ nulla est humana sapientia, si per se ad notionem veri scientiamque nitatur; quoniam mens hominis cum fragili corpore illigata, et in tenebroso domicilio inclusa, neque liberius evagari, neque clarius percipere veritatem potest, cujus notio divinae conditionis est: Deo enim soli opera sua nota sunt: homo autem non cogitando aut disputando assequi ea potest, sed discendo, et audiendo ab eo, qui scire solus potest et docere (3) „. Adsit misericors pastorum Princeps domesticis suis, ut nullo unquam tempore scientiam repellentes, rite sacerdotio fungantur sibi: ut e Scripturae sanctae, Conciliorum, Romanaeque cathedrae, Patrum cordatorumque theologorum ineshautis fontibus, ac ditissimis veluti promptuariis, fidei veritates distincto lucidoque ordine satis adsequuti, humilem verioremque Ecclesiae spiritum induere festinent: et naturalium quoque, ne hujus mundi sapientibus aliquando forte vilescant, scientiarum adjumento, labiis tamen, sicut decet sanctos, modesta semper et ubique caritate

(1) *Epist.* 118. *p.* 337. *Tom.* 2. *edit. Venet.* 1731.

(2) S. Augustin. *serm.* 1. *de Trinit. Tom.* 10. *edit. Venet.* 1570.

(3) *De vit. beat. Lib.* 7. *n.* 2.

perfusis, impiorum astus opportune retundere, cunctosque valeant fideles scientia salutis ad vitam communire (*G*).

ILLUSTRATIONES.

(*A*) Cum ista scientia quantum ad aliquid sit speculativa, et quantum ad aliquid sit practica, omnes alias trascendit tam speculativas, quam practicas. Speculativarum scientiarum una altera dignior dicitur tum propter certitudinem, tum propter dignitatem materiae. Et quantum ad utrumque haec scientia alias speculativas scientias excedit. Secundum certitudinem quidem: quia aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare. Haec autem certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest. Secundum dignitatem vero materiae: quia ista scientia est principaliter de his, quae sua altitudine rationem transcendunt. Aliae vero scientiae considerant ea tantum quae rationi subduntur. Practicarum vero scientiarum illa dignior est, quae ad altiorem finem ordinatur, sicut civilis militari: nam bonum exercitus ad bonum civitatis ordinatur. Finis autem hujus doctrinae, in quantum est practica, est beatitudo aeterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. S. Thomas Aquin. 1. *p. q.* 1. *a.* 5.

(*B*) Indiget ejusmodi cognitio, erectâ, exercitatâ, perspicaeique mente, atque insuper antegressa fide confirmata, quae quidem est stabile fundamentum, et basis omnium de divinitate sermonum, quod confirmat Isaias Propheta dicens: *nisi credideritis, neque intelligetis.* S. Cyrillus Alex. *Lib.* 1. *contra Jul.*

(*C*) Habet nescio quid latentis energiae viva vox, et in aures discipuli de auctoris ore fortius sonat. S. Hieronymus *Epist.* 53. *ad Paulinum.*

(*D*) Quisquis es, qui non vis credere nisi quod vides, ecce praesentia corpora corporeis oculis vides, praesentes voluntates et cogitationes tuas, quia in animo tuo sunt ipso animo vides: dic mihi, obsecro te, amici tui erga te voluntatem quibus oculis vides? Nulla enim voluntas corporeis oculis videri potest. An vero etiam hoc vides animo tuo, quod in animo agitur alieno? Quod si non vides, quomodo amicali benevolentiae vicem rependis si quod non potes videre, non credis? An forte dicturus es, alterius voluntatem per ejus opera te videre? Ergo facta visurus, et verba es auditurus, de amici autem voluntate id quod videri et audiri non potest crediturus. Non enim voluntas illa color est aut figura, ut oculis ingeratur; vel sonus aut cantilena, ut auribus illabatur: aut vero tua est ut cui cordis affectione sentiatur. Restat itaque, ut nec visa nec audita, nec apud te intus conspecta credatur, ne tua vita deserta sine ulla amicitia relinquatur; vel impensa tibi dilectio vicissim abs te non rependatur. Ubi est ergo quod dicebas, te credere non debere, nisi quod videres, aut extrinsecus corpore, aut intrinsecus corde? Ecce ex corde tuo credis cordi non tuo; et quo nec carnis nec mentis dirigis aciem, accomodas fidem. S. Augustinus *De fide rerum quae non videntur cap.* 1.

(*E*) Illud enim discipuli est, Magistri verba non curiosius inquirere, sed audire et obsequi, ac tempus ad solutionem opportunum expectare. Chrysostomus *Hom.* 46. *in Joann.*

(*F*) Ego certe humilitatis ac modestiae laudem illi tribuerim, non qui de seipso pauca, idque apud paucos raro commemorat, nec qui inferiorem humiliter affatur; sed qui parce ac moderate de Deo loquitur, ac quaedam proloqui, quaedam premere et retinere, quorumdam etiam inscitiam fateri novit, atque ei sermone cedit, cui loquendi munus commissum est, ac nonnullos uberiore Spiritus gratia praeditos et contemplatione altius provectos esse aequo animo patitur. Turpe est profecto in veste ac victus ratione, non sublimiorem, sed viliorem eligere, ac genuum callo, lacrimarum fontibus, jejuniis, vigiliis, chameuniis, labore, atque omni corporis maceratione humilitatem prae se ferre, ac propriam imbecillitatem agnoscere; in Divinis autem disputationibus principatum et tyrannidem sibi vendicare, nec cuiquam omnino cedere, verum supra omnes legis doctores supercilium efferre: ubi humilitas non solum gloriam habet, sed etiam securitatem. S. Gregorius Nazianz. *Or. de moderat. in disput. servan.*

Quid igitur? interpellabit quispiam ex iis, qui ferventioris animi sunt. An de Deo tacebimus, idque nobis indicis? Et de qua tandem re potius loquemur? Aut quo loco illud ponemus *semper laus ejus in ore meo*, et *benedicam Domino in omni tempore*, et *veritatem meditabitur guttur meum*, et *ecce labia mea non prohibebo*, aliaque in eandem sententiam definita producet. Cui leniter et sine acerbitate, ut hinc quoque animi moderatio doceatur, occurendum est. Non te tacere jubeo, vir sapientissime, sed a pertinaci contentione abstinere: non veritatem occultare, sed praeter legem non docere. Nam et ipse vel primus inter eos nomen profiteor, qui sapientiam et doctrinam laudibus efferunt, atque in Divinis

sermonibus sacrisque studiis tempus atque operam ponunt, aut certe ponere cupiunt; ac faxit Deus, ne quid unquam huic occupationi praevertendum ducam: ne alioqui ab ipsa Sapientia miser appeller, ut sapientiam et eruditionem spernens ac pro nihilo ducens. Interim tamen exscessum vito et inexplicabilem cupiditatem coerceo: malimque, si mihi utrumque fugere ac mediocritatem assequi non liceat, nimis ignavus esse, quam nimis curiosus, ac nimis timidus, quam nimis audax et temerarius. At tu idem omnino mihi facere videris, ac si me immodico cibo tibi interdicentem eo nomine accusares, quasi ab omni in universum alimento tibi abstinendum esse prescriberem, aut ad caste pudiceque cernendum hortantem perinde criminareris, quasi caecitatem laudibus efferrem. *Si est tibi sermo prudentiae*, inquit sapiens, *responde*: nec quisquam prohibebit; sin minus haereat vinculum labiis tuis. Quanto commodius hoc in eos, qui ad docendum prompti ac parati sunt, adhiberi queat? Si tibi tempus est, doce: sin minus revincta lingua aures solve, ec. *Idem S. Pater. loc. c.*

(G) Cum per artem et vera suadeantur et falsa, quis audeat dicere, adversus mendacium in defensoribus suis inermem debere consistere veritatem, ut videlicet illi, qui res falsas persuadere conantur noverint auditorem vel benevolum vel intentum vel docilem prooemio facere; isti autem non noverint? Illi falsa breviter, aperte, verisimiliter: et isti vera sic narrent, ut audire taedeat, intelligere non pateat, credere postremo non libeat? Illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, asserant falsitatem: isti nec vera defendere, nec falsa valeant refutare? Illi animos audientium in errorem moventes impellentesque dicendo terreant, contristent, exhilarent, exhortentur

ardenter: isti pro veritate lenti frigidique dormitent? Quis ita desipiat, ut hoc sapiat? Cum ergo sit in medio posita facultas eloquii, quae ad persuadenda seu prava, seu recta valet plurimum, cur non bonorum studio comparetur, ut militet veritati, si eam mali ad obtinendas perversas vanasque caussas in usus iniquitatis et erroris usurpant? S Augustinus *De Doctr. Christ. lib. 4. cap. 2.*

EPISTOLA IX.

Ad Ethicen Christianam Σωφρόνιοις.

De morum disciplina ovium Custodibus verba facturus, auxiliatricem Divini Pastoris Sapientiam invoco suppliciter atque exoro. Haec namque Christianae vitae principium, profectio, et consummatio: haec Theologiae universae pars magna: haec praedilecta, totoque jugiter animo quaesita studia presbyterorum; egregiam in ipsis promeritamque navatam a plerisque operam, universim, domi forisque, ostendunt exempla. Novimus plane Pastorum plurimos mire adeo in ejusmodi scientia excultos atque disertos, ut pietate pari ac doctrina, errantibus non solum ad Christum reducendis, cunctisque fidelibus in salutis tramites dirigendis, sed Ecclesiasticae quoque juventuti ad sibi proprias disciplinas properanter informandae, optime convalescant; quibus ex animo, eo quod fecerint et docuerint, se magnos in coelorum regno vocatum iri, spem effulgere jucundissimam, et suspicimus et gratulamur. Quid inde ausim? *quid petam praesidii? quam leniter? quam remisse? quam non actuose* (1)? et tamen praeter fere innumera abunde satis jam scriptitata, forte adhuc vel dicenda vel repetunda, in re tanta superesse arbitrantes, non quasi instituendo, sed veluti insimul condiscendo, paucula fert animus praeponere atque subjicere.

Ab ipsis Relligionis sacrorum cunabulis morum scientiam exordia sumpsisse, et per aetates singulas, fluminis

(1) Cicer. *de Orator.* 1. 2.

ritu, pro diversis hominum tomporumque exigentiis in magnos auctus coaluisse, exploratum est. Equidem ab naturae statu ad actus moresque instituendos homo sub lege constitutus, per gratiam dein in alteram renatus creaturam, Christi JESU, qui via, veritas, et vita, verbo et exemplo veluti manuductus ad aeternam usque felicitatem. Vera heinc universae moralis Theologiae sanctaque fundamenta, Christum sequi; Christum moribus exprimere, caelestibus Christi doctrinis penitus inhaerere; hae primaevis nostris fratribus obviae simplicesque vivendi normae: hae ab Apostolis ore scriptisque traditae: hae ab Apostolicis Patribus primo nascentis Ecclesiae saeculo, actu magis, quam voce exhibitae, et leni amantique potius exhortatione quam auctoritate fidelibus commendatae. Neque enim exortas mox pravorum hominum haereses, quas Patres illi sanctissimi fabulas nuncuparant, disceptationibus vel argumentis refellere ac praefocare, iis cura fuit: quandoquidem de vesanis ejusmodi novatoribus praedilectus Apostolus Evangelista Propheta *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis* (1), sententiam edixerat; quapropter in aureis Ecclesiasticae doctrinae primitiis haud aliam Theologiae partem, nisi eam potissimum, quae novae adoptionis filiorum moribus dirigendis, seu verius sanctificandis, praecepta et monita praesignasset, reperire est: mutua nimirum justitiae, caritatis, unitatis, et pacis intemerata studia sollicita, inque Servatorem JESU fidei, spei, et amoris ignem puriorem utique ac flagrantissimum; quod extat apud inclytos Martyres, et Petri successorem Clementem, et Ignatium, et Policarpum

(1) *Joan.* 1. 2. 19.

in eorum quae supersunt epistolis (1); quod et altero saeculo Clemens Alexandrinus egregie praestitit in Opere (2), quod moralis Theologiae veluti Prodromum, conspicuum sane atque ornatissimum, apposite dixerim.

Postquam vero per immaculatas omnium virtutum semitas, inter pene continuas et pugnas et passiones (portis inferi efferisque mundi tyrannis innocuam Christi haereditatem evertere incassum obnitentibus) glorioso Filiorum purpurata cruore, pace tandem undique parta, et libertate donata, ad quartum usque saeculum sacrosancta adolevit Ecclesia, primas recepisse veluti formas scientia morum visa est. Quum enim saeva Decii persequutione, Christianorum aliquibus, quiddam humani passis, in mediis certaminum discriminibus animus ad agonem defecisset *(A)*, eisdem proinde Ecclesiae reconciliandis, post Tertullianum (3), invictus Praesul et Martyr Cyprianus (4), et e Petri Cathedra Cornelius (5), et Romanus Clerus (6), pretiosa nobis reliquere monumenta, quae in sequenti Valeriani et Gallieni, ac praesertim in diuturniori Jovii et Herculii persequutione immanissima piae errantium receptioni normas praebuere; queis, de Valentinianis mulieribus ad sacram exhomologesim susceptis

(1) S. Clem. P. *Epist. ad Corint.* S. Ignat. *ad Trallen., ad Magnes., ad Smyrn.* S. Policarp. *ad Philipp.* apud Euseb. *Hist. Ecc. lib.* 3. c. 30.

(2) Pedagogus *lib. tres*, ex recens. Jo. Putterii, cum not. select. *Oxon.* 1715.

(3) *Lib. de Poenitentia.*

(4) *Lib. de Lapsis. Epist. IX. ad Clerum. X. ad Martyres: XI. ad Plebem: XIV. ad Presbyt. et Diac. Rom. XXVII. Lapsis XLVII. LIV. et LV. ad Cornelium R. P.*

(5) *Epist. inter Cyprianic. XLVI.*

(6) *Loc. c. Ep. XXI.*

actum enarrans, praeiverat Irenaeus (1). Hinc et poenitentium gradus constituti, et poenitentialium Canonum congesti Codices (2); in quo ex Ecclesiae vel prima aut disciplina, aut traditione, providissima ac prudens illa aequitatis discretio ita comparuit, ut ne lenitas nimia segnisque indulgentia impoenitentes admittere, aut veluti sinere videretur, neve rigor immodicus vere poenitentes vel repelleret, vel arceret.

Interea Occidentis Imperio dire proscisso ac ferme deleto, e vadis Maeotidis irrumpentes densissimi, Africam Vandali, Hispaniam Gothi, Franci Gallias, Italiam horum plurimi gregatim commixti undique invasere. Rebus in discrimen datis, ne ab efferatis praedonum animis barbarisque invadentium moribus intaminatum adhuc Ovile Christi aliquid detrimenti caperet, sibi omnimode evigilandum censuit Ecclesia. Equidem ab Apostolico Romanae Arcis culmine universi Dominici gregis supremi Rectores atque Magistri, eisque vel impulsoribus, vel probantibus, plurimae coactae Synodi, et Patrum sapientissimi, ab eorum aetate praeclarisque voluminibus aureum Ecclesiae Catholicae aevum ad rem literariam nuncupaturi, tot ingruentibus malis undique strenue occurrerunt. Quapropter haeresum monstra, et vaferrima hereticorum perfidia Oecumenicis Conciliis damnata, atque coercita, unoque omnium ore scriptisque celeberrimis, ad temporum congruentias, salutaribus regulis, legibusque collapsi fidelium mores emendati (*B*), omnisque disciplina penitus vel firmata vel restituta. Morali idcirco scientiae tan-

(1) *De Haeresib. lib.* 1. *c.* 16. *a.* 3.

(2) *Sanct. Rom. Eccl. Liber poenitentialis*, ex *Thesauro Monument.* Hen. Canisii, *Tom. II. pag.* 121., *et seqq.*

ta rerum congeries accessit, lux tanta satis affulxit, ut nullam prope ejusdem facultatis partem sit adinvenire, quae doctrinis atque animadversionibus haud fuerit affatim collustrata. Cujusmodi plane uberrimi auctus in venerabilis Bedae *Scintillis*, et in *Sacris Parallelis* (1) S. Jo. Damasceni praestantissima specimina proferuntur.

Jamque saeculo decimo primo ineunte aliquantula litteris optata lux ferreas diuturnae aetatis dimoverant umbras: jamque, ad sacras praesertim disciplinas instituta gymnasia, in quibus Stagiritis philosophi adeo vetusta invaluere praecepta, ut Relligionis Sacrorum dogmatibus et doctrinis adserendis ac declarandis apposite dicta, ac fere necessario repetenda putarentur. Inde Dialecticorum nugae, complexiones, sophismata: inde immoderatioris quandoque scholasticae ceu furor quidam vesanus et impatiens, subtilioribus aliquibus illius aevi doctoribus errandi, ad perditionem quoque, offendiculum. Has inter versatiles scholarum blateras, adfuit tandem scholarum Angelus, praeclarum Ecclesiae sanctae lumen, Italicum decus, regio exortus sanguine, almus Doctor Thomas Aquinas; cujus, praeter philosophica, exegetica, polemica, copiosiora sane et insignia; licet scholastico pulvere aliquantillum respersa, (quod illius aetatis infelicitati potius, quam praecelso Auctoris ingenio tribuendum) auro cedroque dignam, *Summam* celeberrimam promeritis laudibus cumulemus. Quaecumque enim ex sacris Litteris, Traditionibus, Patribus, ad rem quoque moralem, ubertim, at divisim, habuisse gaudemus, insigne Opus, quod memoramus, miro nexu atque ordine collecta tenet. Fi-

(1) *Ex recens. et vers.* Mich. Lequien. *Paris.* 1712.

dem, quam insuper in gemino caritatis praecepto conclusam contemplatur, Symbolum, Orationem Dominicam, et Angelicam salutationem, sublimiter pieque S. Doctor explicans, et ubivis perlustrans, de theologicis virtutibus, de peccatis, justificatione et libero hominis arbitrio, de conscientia, de legibus, deque ministeriis et officiis, ceterisque, re ac numero haud facile commemorandis, copiose, distincte, nitideque adeo dicit, disserit, eloquitur, ut hance Summam, perennem lucis fontem, absolutamque Theologiae universalis bibliothecam, unde quid credas et quid agas ediscere est, nuncupatam, dignam plane, quae cunctis sacrae facultatis stadium currentibus veluti exemplar fulgidissimum praesignetur, omnis aevi sapientiores jure meritoque censuerint.

Facem iccirco clarissimam Angelico Doctore praeferente, plurimi post eum castigatioris scholasticae scriptores effloruere: donec, praecedentium generalium cunctorum corona, sacrosanctum Tridentinum Concilium, quod universae sapientiae immortale Athenaeum ferme dixero, reseratum est. In eo scilicet doctissimorum Praesulum, et virorum in re litteraria quavis clarissimi nominis, graviores inter atque diuturnas, fere incredibili cura et labore peractas, materierum omnium disquisitiones, quae ad Fidei dogmata, quae ad disciplinam, quae ad Ecclesiasticorum, cunctorumque fidelium reformationem, mature, luculenter, definite, discussa, exposita, constituta: haereses pudore suffusae, perpetuoque confixae anathemate: datumque uni Ecclesiae sanctae optata tranquillitate laetari, et gloriosis iterum iterumque decorari triumphis. Quam ob rem Synodi Tridentinae celebritas theologicis disciplinis aera faustissima, omnium plausu in aevum omne commoranda. Quum enim ab praecedenti saeculo plura

Classicorum veterum reperta exemplaria, et accuratiores historiae et antiquitatum indagines, linguarum cultus, artis criticae studia, et omnigenae eruditionis copia, rerum, verborumque delectus, literas veluti redivivas in diem splendidissimum eduxissent: suppari aestu excitata dein atque percita strenue ab scholarum involucris prosiliit Theologia. Tecnis nimirum tricisque barbare deblaterantium valedicto, ab sacris Bibliis, Traditionibus, Patribus, ad orthodoxam Fidem adstruendam, nec non ad mores recte sancteque dirigendos *(C)*, inconcussa veritatis fundamenta, et tutissimas quaestionum resolutiones, nitido ratiocinationis praesidio, mutuavit, ac tradidit: ideoque mutatis fere vestibus purior ac pulcrior denique stetit, vetustam dignitatem repetiit, novoque decore refulxit. Quae vero ab auspicatissima epocha illa ad nostra usque tempora in morum scientiam universam derivarint emolumenta, satis superque testantur, data, aetate quavis, in lucem, opera, cursus, institutiones, tractatus, summae, collectae casuum decisiones, medullae, dictionaria, manualia, tabulae, gramaticae, et cujusvis nominis lucubrationes, solertibus cupidisque Ethicae Christianae cultoribus strues magna et sppellex luculentissima. Librorum tituli, Auctorumque nomina ingenti vix occluderentur volumine. Atqui Scriptorum, qui suamet fama ceteris illustriores, universim lectitati, atque consulti, omnium votis concelebrantur, opera eorumque momenta maxima recensere, veluti noctuam Athenas mittere profecto foret; de reliquis autem, tum antiquorum, tum recentiorum (numero copia major est), quos aut laudibus exornare, aut crithicis excutere improbus nimium arduusque labor, cuique σύγγραφεων volenti, et pertinacis patientiae munere

donato, ultro lubenter linquimus adaequata constituere judicia.

Ceterum, cunctis equidem moralium disciplinarum tractatoribus Verbum Dei Scriptum ac Traditum, Canones, Conciliorum Romanaeque Sedis decreta, et Patrum dogmata, sicut ad Fidem, ita et ad mores, Loci, ut ajunt, Theologi, latices videlicet purissimi atque uberrimi. Quoniam vero ex hisce pleraque sane et potissima, at non omnia et singula cunctis singillatim dubiis, casibus, quaestionibus exstricandis, momenta et syntagmata liquido praebeantur: historiâ, philosophiâ, et naturali ratione in eorumdem locorum album accensitis, hinc profecto opinionum diversitates (alias enim heic haud vacat inquirere caussas) et mutuae Probabilistarum, et Antiprobabilistarum quaerelae, ne jurgia dicam et scandala, quae ejusmodi studia dedecorant probrique insimulant. *Servum Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes: docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati* (1). Quamobrem sinamus, quaeso, pios procul dubio doctosque viros, ad ea, quibus Ecclesia Dei definiendis abstinuit *invicem in provocationem charitatis* (2), in proprio sensu abundare; alios nimirum probabiliores sententias tenere, eas quoque tueri, dummodo eisdem adstruendis, praevolita quadam Probabiliorismi affectatione cuncta ventilare, et ad omnimodam veritatis certitudinem diducere conantes, odibilis damnatique rigoris limina veluti pandere minime videantur; alios autem, seu Theologos, seu Casuistas, Probabilismum temperanter sectari. Non illud, inquam, ab

(1) 2. *Timot.* 2. 24. 25.

(2) *Hebr.* 10. 24.

quo effraenes et laxae, ideoque nigro jam Θ praefixae dimanarunt opiniones, sed illud dumtaxat, quo gnari sanctique Homines aequissimo inculpatae doctrinae moderamine usi fuerint, et quod usqueadhuc plerisque innoxie probatur *(D)*. Nulla idcirco (uti nimium audentes juvenculi quidam fervidiores cuperent) probablistarum scripta vel aspernanda, vel rejicienda; etenim et ab iis quoque optima plura datum colligere, *tum in iis praesertim, quae jus positivum Ecclesiasticum spectant, tum in casibus quibusdam obscurioribus, et implicatis, propter claras aliquando rerum notiones, et cognitiones, quas suppeditant, et authorum hinc atque inde disputantium opiniones, quas referunt* (1), quod et ipsemet Antiprobabilistarum dux *Eranistes* fateri compellitur. Quapropter piissimi Praesulis Alphonsi de Ligorio nitidam absolutamque *de usu moderato opinionis probabilis* Dissertationem, eo libentius domesticis Dei praeostendere non dubitamus (2).

Itaque, non obtusioris minervae et scepticis, aut casuistis, aut rigidioribus, quibus in more positum de cunctis ac minimis incerta mente perpetuo nutare, quaestiunculas instituere, litemque movere, sed Christianis vere Philosophis, nostris videlicet Etruscis Pastoribus lucubratiunculam hance meam consulto disserendam putavi, ut oris et cordis pacatissimo, quod innui, temperamento, si lubeat et deceat, ad opportunitatem utantur, atque meminerint, morum doctrinas *nihil aliud esse, quam funda-*

(1) Patuzzi *Eth. Christ. Tract. de rat. hum. Dissert.* 3. *c.* 9. *cons.* 8.

(2) Ex nona Editione ab ipso B. Auctore reformata, et in qua post revisionem nihil censura dignum repertum fuit, prout suo Decreto diei 14. Maji 1803. declaravit S. Rituum Congregatio.

menta aedificande spei, firmamenta corroborandae fidei, nutrimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, praesidia obtinendae salutis: quae dum dociles credentium mentes in terris instruunt, ad caelestia regna perducunt (1).

(3) S. Cyprianus *Lib. de Orat. Dom. in princ.*

ILLUSTRATIONES.

(*A*) Dominus probari familiam suam voluit: et quia traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem, et pene, ut ita dixerim, dormientem, censura caelestis erexit: cumque nos peccatis nostris amplius mereremur, clementissimus Dominus sic cuncta moderatus est, ut hoc omne, quod gestum est, exploratio potius, quam persecutio videretur. S. Cyprianus *Lib. de Lapsis*.

Compatior, et condoleo de fratribus nostris, qui lapsi et persecutionis infestatione prostrati partem nostrorum viscerum secum trahentes, parem dolorem nobis suis vulneribus intulerunt; quibus potens est Divina Misericordia medelam dare. Properandum tamen non puto, nec incaute aliquid et festinanter gerendum: ne dum temere pax usurpatur, Divinae indignationis offensa gravius provocetur. Fecerunt ad Nos de quibusdam beati Martyres litteras, petentes examinari desideria sua. Cum, pace nobis omnibus a Domino prius data, ad ecclesiam regredi coeperimus, tunc examinabuntur singula, praesentibus et judicantibus vobis. *Idem S. Episc. et Martyr. Epist. XI. ad plebem.*

(*B*) Confunderis confiteri peccata? confundaris admisisse . . . . . Quis confundetur de opere, quo justus fiet? Num jubet te confiteri, ut puniat? immo ut ignoscat . . . . . Vocata conscientia nostra, faciamus rationem verborum, operum, cogitationum; scrutemur quid insumptum in perniciem: quis male prolatus sermo in

convitia, in sales, in turpiloquia: quae concupiscentia oculorum in intemperantiam provocarit: quae cogitatio in malum prodierit seu per manus seu per linguam, vel per ipsas cogitationes. Pro male insumptis aliud reponamus lucrum: pro verbis temere prolatis sanctas preces: pro visu intemperato eleemosinas et jejunia. Chrysostomus *Serm. de Poenit. et Confess.*

Apud judicem bonum Confessio mater est indulgentiae: apud justum, paenae debitum. Bonus confitenti tribuit veniam, justus competentem infert paenam. Ad miserandum Dominus paratus est; si qui contemptus fuit misereri noluisset, rogares ut vellet; cum ipse misereri desideret, qui offendit rogare non desinat; liceat confiteri cui peccare licuit: liceat petere veniam cui licuit contrahere culpam: indulgentiam postulet qui mandata contempsit: veniam optet qui legis justa despexit. Confessio reddat quod peccatum detraxerat: curet poenitentia quod delictorum macula sordidarat. Serpentinum virus satisfactionis antidoto cicuretur: peccatorum venena precum instantia depellantur, ut Dominum, quem nobis delicta fecerant iracundum, reddant obsequia digna placatum, et qui a nobis culpis fuerat offensus, confessione nobis misericors reddatur et pius. *Idem S. Pater Serm. de Confess. peccat.*

(*C*) Licet quaedam sint, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quae aut pro consideratione aetatum; aut pro necessitate rerum oporteat temperari: illa semper conditione semota, ut in his, quae vel dubia fuerint, aut oscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis Evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum inveniatur adversum. S. Leo M. *Epist. ad Rustic. Episcop. Narbon.*

(*D*) Siqua exsurgeret quaestio, ubi id minime reperiretur, recurrendum ad Sanctorum Patrum sententias, eorum dumtaxat qui suis quique temporibus et locis in unitate communionis et Fidei permanentes, magistri probabiles extitissent; et quidquid uno sensu atque consensu tenuisse inveniretur, id Ecclesiae verum et catholicum absque ullo scrupulo judicaretur. Vincent. Lirin. in *Fragm. secundi Commonitorii.*

EPISTOLA X.

Praecedentium consectaria.

Sunt qui scire volunt eo fine tantum ut sciant, *et turpis curiositas est*: *ut sciantur ipsi*, *et turpis vanitas est*: *sed sunt quoque qui scire volunt ut aedificent*, *et caritas est*, *ut aedificentur*, *et prudentia est* (1). Nil equidem praestat, diutino labore et vigiliis permultis ad theologicas disciplinas sedulam navasse operam, nisi haec una in domesticis Christi sanctior voluntas, binaque consocienter emolumenta, propria nempe ac fidelium sanctificatio. Quod plane e morum scientiis potissimum iri praestitum eo libentius confidimus, quo magis nullum in Ecclesia Dei, post incruenti oblationem sacrificii, aut sublimius, aut utilius reconciliationis sacramento ministerium adinveniri posse conspicimus. Magna profecto praeclaraque munera, quibus, ad sacrum poenitentiae tribunal, Christi gerens vicem, homo efficitur judex, quia *omne judicium*, *quod Pater dedit Filio*, *idipsum a Dei Filio traditum illi* (2): cui propterea datae regni coelorum claves, ut quorum remiserit peccata, remittantur eis, et quorum retinuerit, retenta sint. Hinc bonus pastor, qui deperditam quaeritans ovem, si eam ex infernalis lupi faucibus ereptam, ad sanctum ovile humeris prorsus impositam tulerit suis, *gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente*, *quam super nonaginta*

(1) S. Bernard. *Serm.* 36. *in Cant.*

(2) Chrysost. *de Sacerd. lib.* 3. *c.* 4.

novem justis, *qui non indigent poenitentia* (1). Sed et curandis animis pervigil medicus atque amans, cui et a quacumque detineantur infirmitate eas liberare, ac ne in ulterius recidant aegritudinis exitium, salubriora datum remedia indicere et propinare; praeelectis insuper ad castissimum sponsi thalamum recta via tutissimaque evehendis et doctor sapiens et fidissimus consiliarius; ipsum denique Christum agens, dum vel proprio imperio atque ore, *ego te absolvo*, tamquam ab divino exauditionis ac misericordiae sacrario proferens, verissimum ratumque in coelis judicium praefinit.

Celsum vero ejusmodi culmen dignitatis arduum plane ac fere innumeris obnoxium discriminibus scopulisque. Quantum, quaeso, laboris, et curarum deviis in salutis tramitem reducendis! Etenim et obsistentis pertinaciam vincere voluntatis, et abnuentis cordis satis emollire duritiem, et ulcus detegere ac patienter mederi, et superbas vitae iras rabidosque concupiscentiae compescere fluctus, et pusillorum ac nutantium irrequietas cohibere dubietates, et omnibus omnia fieri fidelem administrum oportet ubique semper ac decet. Quosdam ab difficili occasione divellere, in aliquibus vires pravi habitus, ut omnino postmodum atterantur, attenuare, aliis, ut incoeptis ad meliorem inhaereant frugem, robur animosque adjicere, necessum utique: neque exteriores tantum actiones, sed et ipsis cogitationibus ac desideriis ad diligentiorem trutinam adactis, solertem intentionum cordis percunctatorem, intimas conscientiarum latebras introspicere, denudare, iterum iterumque purgare, ut quae prius oderint diligant, quae deperierint perhorrescant; et haec aliaque plurima, impro-

(3) *Luc.* 15. 7.

bo sane labore prae circumstantiis munia, difficultatibus, taediis, molestiis quibuscumque cedere nescium, impertubabili et alacri semper corde atque ore perficere. Et tamen in hujusmodi salutari ad proximos praestando ministerio, quantum adhuc solicitudinis ac periculi, quantum ipsimet animarum duci ac magistro passim extimescendum! In ejus namque manibus aeternae ministratio vitae aeque ac mortis; nimia quippe severitate, zeloque imprudenti, in desperationis barathrum quandoque infirmiores impelli, et ad malum proniores toleranti quadam lenitate vel confidentia in praeceps abripi, compertum est: atqui si defecerit impius in iniquitate sua, sanguinem ejus Deus ultionum Dominus de sacerdotis manu requiret (1). Jure igitur meritoque *artium artem* (2) animarum curam novimus nuncupatam: jure ab plurimis Patrum ac doctorum institutionibus sacerdotes ad praxim commoniti; e quibus paucula ad rem nostram exscribentem, qua assoles indulgentia, Praesul bone, prosequaris.

Purior ac prorsus irreprehensibilis vita ad reconciliationis sacramentum rite utiliterque ministrandum primum exquiritur. Jam vero nec fere impeccabilem exigimus dispensatorem: ipsum profecto infirmitate circumdatum utique novimus, quum vel in proprio corde unusquisque inexhaustam, qua a bono abducitur, fertur ad malum, scaturiginem corruptionis passim inveniat; praeterquamquod ab sanctitate aut ministrantium meritis virtutem sacramenti nullatenus pendere edocemur. At quoniam sancta sancte tractanda, praerequisitam in confessario sanctitatem in hoc potissimum prudentiores magistri constituunt,

(1) *Ezech.* 3. 18.

(2) S. Greg. M. *Pastor. p.* 1. c. 2.

ut non modo omnem prorsus laethalem culpam videatur excludere, sed venialibus quoque vitandis diligentiorem omnemque curam adhibeat. Turpe enim atque sacrilegum, manicipium diaboli, et gratiae Christi adspernatorem, illius agere vices, et aliis impertiri quod ipse non habeat praesumere. Quandoquidem vero ad legalia veteris typi obeunda ministeria, puritatis praesertim, multaeque apparatus dispositionis divinitus praeordinatus, eoque si quispiam forte abstinuisset, morte damnatus, *quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et Sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est* (1). Quamvis praeterea caritatis habitum leves culpae nequeant depellere, ex iisdem tamen et lumen et zelum paulatim languescere, admodumque minui fatendum est. Quo majus quidem suboriri praejudicium patet, quum praesertim qui confessionibus audiendis praeficitur, et flagitia cuncta et obscoeniora quaeque, licet invitum, et audire oporteat et perscrutari; ac in re tanta quo levis et obvia magis occasio, eo periculosius exemplum et damnum facile, nisi suggestionibus quibuscumque repellendis sanctum diu propositum, vel cuncta pro more levia quoque perhorrens, fortius obfirmatum fuerit, prorsusque occalluerit. Quoniam autem de his alibi fortasse fusius dicendum, ad cetera properemus.

Qui doctor et judex divina potestate praeordinatur, *cum audierit peccatorum varietates, sciat necesse est, quis ligandus sit, quisve solvendus* (2). Atqui nisi ad haec eminentem, saltem competentem requiri scientiam alibi innuimus. Ejusmodi vero sufficientiam in eo sitam duci-

(1) *Ad Hebr.* 10. 29.

(2) S. Hiernoym. *in Matth. c.* 16.

mus, ut quod licitum vetitumque animarum reconciliator probe potenterque veluti prae manibus habere satagat. Hinc divinarum humanarumque legum, ecclesiastici civilisque juris generalem peculiaremque notitiam necessariam adstruimus: proinde ut omnia et singula hic et nunc diligenter valeant expendi, ac quae pohibita vel indulta, quae certa vel dubia statim dejudicari; neque id tantum quoad materierum universitatem, sed etiam pro personarum, locorum, temporum diversitatibus, ac circumstantiis usquequaque praestandum; et propterea confessarium *in primis oportet esse adeo multarum rerum experientia instructum*, *mundanaque omnia nihilo minus noscat*, *quam norunt ii*, *qui in media hominum turba versantur* (1). Quoniam vero plurimae quidem ad mores inter theologos instituantur quaestiones, quibus ad praxim ancipiti haerere judicio sacerdos quandoque cogeretur, e probatissimis idcirco scriptorum sententiis, quae nisi solidis, quae alibi innuimus, innitantur fundamentis, cum iisdem saltem collimare magis videantur, rectum ac fere absolutum curet sibi veluti systehma praefinire, quo cunctis extemplo poenitentibus ad salutis viam facere satis et velit et queat.

Hinc poenitentium animis, ne ulterius recidant, prolixe medendis alterum sacerdotis munus, quo, licet plerisque fortasse neglectius, nil tamen necessarium magis utileque comperimus. Etenim periculosiora itemque leviora aequa manu vulnera contrectare, et diversis quibuscumque infirmitatibus eadem semper et ubique medicamina propinare, commune pluribus; quod profecto haud depellere, sed prorsus irritare morbos atque auge-

(1) Chrysost. *de eod. lib.* 6.

re plerumque est. Lepram inter et lepram probe gnaviterque discernere necesse primum : et effectibus penitus arcendis caussae ac principia funditus dignoscenda, iisque evellendis igne ferroque adlaborare est, ut praepotenti medela ocyus sublevetur infirmus et convalescat. Equidem criminum circumstantias speciem mutantes, et quae intra speciem eamdem notabiliter malitiam augeant, et quibus culpa natura levis per accidens laethalis fiat, diligentius discernere oportet semper et decet, ut opportuniora itemque salubriora medicamina parentur, et propriae prae diversa flagitiorum et delinquentium qualitate injungantur satisfactiones. Deflendum plane super multorum vel ignorantia vel sthoica quadam socordia, qui, ferme intactis plagis virulenta adhuc sanie manantibus, pauculis poenitentes quoscumque adhortationibus indiscriminatim de more adloquuti, una vel altera, ad praeteritorum tantum vindictam, precatiuncula passim injuncta *(A)*, sacram adeo exomologesim temere ac incondite miscent, accelerantque, ut de iis cùm inclito Cypriano optime dixeris, *elaborant*, *ne Deo indignanti satisfiat* (1). *Vae qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus*, *et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis* (2)! Ligandi atque solvendi potestate donati, postremam tantummodo videntur agnoscere: et Sanguinis Christi dissipatores magis, quam dispensatores, ipsum inconsulte, audacterque super vulnera nigro foeda flagitiorum tabo undecumque conspergunt atque commaculant *(B)*. *Imperitus est medicus*, *qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat*, *et in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat*, *exaggerat*; *aperiendum vulnus et*

(1) *Epist.* 55. (2) *Ezech.* 13. 18.

secandum ; et putaminibus amputatis , medela fortiore curandum : vociferetur et clamet licet , conqueratur aeger impatiens per dolorem , gratias aget postmodum cum senserit sanitatem (1). *Si tantummodo operit vulnus , nec sinit necessario temporis remedia obducere cicatricem : hoc non est curare , sed , si verum dicere volumus , occidere* (2).

Eapropter haud umquam reprobanda satis levissima isthaec satisfactionum genera , quibus nec datum poenitentibus suorum gravitatem delictorum pensitare , nec ab iis perpetrandis poenae saltem averti formidine , adeo ut sub facili veniae spe dormitantes , in idipsum praevaricationis piaculum fere necessum est , relabantur. Si veterum severitatem poenalium Canonum indulgentioribus ejusmodi forte praemonstres , subrident plurimi , asperiora antiquitatis exempla , obsoleta jam et rancidula , in medium proferri. Enimvero , licet a pluribus Ecclesia saeculis arctas hujusmodi regnlas , ne praesertim *infirmus aliquis ex magnitudine poenae desperet , et a poenitentia totaliter recedat* (3) , tacite relaxasse videatur , earum tamen notitiam etiamnum sacerdotibus necessariam cum Divo Carolo adstruimus, tum ut peccatorum gravitatem tamquam justissima sanctuarii lance perpendere assuescant , tum ut delinquentibus , parvi fortasse commissa facientibus , certo commostrent et quibus , dimissa etiam culpa , forent obnoxii poenis , et quantus remaneat adhuc temporalis exsolvendae poenae reatus . Equidem haud unquam fallibilis Ecclesia Christi nec veluti excessum hodie dijudicat quod olim pro veritate retinuit ; nos ipsi mutabiles prorsus effecti , Ecclesiam non spiritu ac sen-

(1) S. Cyprian. *de lapsis.*
(2) *Idem Epist.* 31.
(3) S. Thom. *in Supplem. qu.* 18. *art.* 4.

su, sed modo atque indulgentia ad nostram usque infirmitatem descendisse fateamur. Ast quorsum haec? Tridentinorum Patrum oraculo arrigant aures quique alia sapiant, atque sectentur, ac nisi magno percellantur timore, saltem conticescant: *si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur* (1) Praeterea nec tantum *ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum*, sed etiam *ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem* (2) injungendae satisfactiones, simulque poenitentes edocendi, non modo impositis operibus, orationibus nempe, eleemosinis, jejuniis (3), sed quoque per quaevis pia opera sponte suscepta, ac per voluntariam aerumnarum perpessionem, quibus nos interdum erudit et corripit coelestis Pater, expiationis donum obtineri; quod salutaria quaeque subsequuntur emolumenta, quum scilicet satisfactoriae poenae a culpis revocent, et praecavendis peccandi periculis nos cautiores efficiant atque vigilantiores, per easque purgentur criminum reliquiae ac vitiorum habitus eradicentur, et temporalis poenae reatus, qui dimissa culpa persaepe remanet, omnino expungatur, quique ad vitam alteram alioqui supererit in Purgatorio expiandus.

Jam vero si laxiores incusaverim, non ideo tamen laudavero rigidiores. Hisce quippe postremis temporibus visi sunt aliqui data opera in id potissimum incubuisse, ut omnimodam divinorum judiciorum severitatem praeostendentes, nitantur conscientias formidine tantum ubi-

(1) *Conc. Trid. ses.* 14. *c.* 8.
(2) *Loc. c.*
(3) *Loc. c. can.* 13.

que percellere. Eorum quidem lucubrationes, sancta utique unctione respersas, saevis tamen sententiis passim refertas, quae fidelium animos gelido pavore concutiant, ideoque spiritibus aequo timoris et confidentiae gradu continendis minime attemperatas, videre est, quae duo inter veluti libramenta, ab Dei voce in Scripturis sanctis, spes omnis nostra videtur posita atque suspensa. Hinc quosdam re vera novimus, cujusnam ludi fortasse alumnos haud vacat inquirere, de quibus apposite dixeris, nil aliud ab theologicis disciplinis, nisi difficultates apprehendisse, neve alias e divinis fontibus nisi quae terreant hausisse veritates: quorum virtus, ore tristi asperoque supercilio, austerior semper ac turgida, inque peccatores ferox et impatiens; rariores ab eis absolutionis beneficium capessunt, ac si forte vel una relapsi vice, jacta alea est, extrudentur foras *(C)*. Desiisse pie credimus: quod siqui fortasse residui fuerint, *dissipandis magis quam pascendis ovibus idonei* (1), in caeritum, quaeso, deferantur tabulas hujus furfuris irritatores. Nos quidem aequa mediaque incedentes via, *utique facere judicium, et diligere misericordiam* (2), ab venerabili ac perpetua Ecclesiae disciplina et Patrum exemplis apprime didicimus *(D)*.

Haec porro tutissima atque laudabilis, tum prudentia, tum caritate, quae dispensatorum gratiae tamquam adseclae peculiares jure celebrantur, adsequenda via est. Prudentiam non quidem carnis, *quae mors est*, sed spiritus innuimus prudentiam, quae nullam videatur diligentiorem curam omittere ad intimas poenitentium dispositiones perscrutandas, quo remedia opportuniora pa-

(1) *Concil. Colon. Can.* 33. (2) *Mich.* 6. 8.

rentur atque consilia, quo ad veniae reconciliationem impertiendam, seu prae circumstantiis differendam aut quoque denegandam, rectum absolutumque efformetur judicium. Eâ sane duce, in poenitentium animos facile insinuamur, et leni quadam humanaque fandi ratione eorum confidentiam adeo captamus, ut super sinceritate confessionis dubiis raro animis haereamus. Ipsa praeeunté, quid et quomodo interrogemus, instruimur: ut nempe a cogitatis ad desideria, ab hisce gradatim ad actus usque inquiramus; paulatim vero ac modesta quadam circumspectione, ut de iis, quae in personis ejusdem status plerumque admitti consuescant ad rem sciscitemur: de ceteris autem paucula, generatim, cautissime sic quaeritemus, ut si poenitentes deliquerint, patrata evomant, sin vero insontes non addiscant; quia praesertim delectabilia quo magis in specie requirantur, *potest contingere, ut confessor talia quaerens et sibi et confitenti noceat* (1). Arcana pariter in sacramento concredita, arctissimo naturalis, divinae, humanaeque legis vinculo fideliter custodienda, ne indirecte quidem unquam pandi per prudentiam confidimus: ipsa quidem os nostrum semper et ubique occludente, sacrum ejusmodi secretum, Ecclesiae ministrorumque egregium decus, sartum tectum inviolatumque sevabitur. Contra vero, absque praelaudatae moderamine virtutis, quis forte cum timoratis, qui delicata suavique medendi egent ratione, severius aget, et scrupulis obnoxios efficiet: in quos autem constans ferreumque pectus portendere est, indulgentior, et obcaecatis confidentiam nutrit roboratque:

(1) S. Thom. *in 4. sent. dist. 19. ad expos. text.*

objurgationes aut rigidiores quam par sit, aut mitiores, vel indiscretione, vel falsitate zelum commaculant, et remedia, quae ab ejusmodi inaequalitate promanent, sive perniciosa, sive ferme inutilia; et injunctae satisfactiones seu leviores, queis clavium potestas despiciatur, seu graviores, quas poenitentes renuant vel non impleant receptas, utpote quae discretionis fines excesserint, aut meticulosae conscientiae animas maxima afficient perturbatione, aut crimina pravosque habitus, qui destrui omnino debuerant, obfirmabunt. Verum directricis prudentiae regulas singillatim persequi arduum plane, ac fortasse supervacaneum, quum easdem, pro multiplicibus, quibus convenienter gaudent casibus aptari, actu facilius exequi, quam dictis enarrare.

Demum, veluti pro coronide prudentis confessarii, caritatem exigimus: eam nimirum, quam in peccatores Servator noster piissimus, dum pertransiit benefaciendo, vivens ac moriens, et docuit et fecit. Ab cathedra veritatis in flagitia cuncta sacrum decet praeconem fulgurare, tonare: ad veniae autem et misericordiae tribunal modestiam induit et viscera Christi JESU. Omnes quoscumque, et adhuc sanguinolento, imo quoque occalescenti saucios praesertim vulnere, corde pacatissimo, vultuque aperto ac sereno, paterna plane solicitudine, peramanter complectitur, et leni quadam alacritate eorum defectui, ignorantiis, infirmitatibus praesto esse, suaviterque compati, in deliciis habet. *Qui enim non fert infirmitates, curare nescit: et qui non fuerit cum infirmo infirmitatus, infirmo non potest conferre sanitatem* (1). Hinc non anxiis confitentium ad nauseam

(1) S. Petr. Chrysol. *serm.* 50.

usque repetitis, non dubietatibus scrupulisque unquam pertaesus, non voluntatum socordia, duritie, incostantia usquequaque deterritus, non garrula victus importunitate, neve audaciori quandoque inurbanitate exasperatus, ne duriusculum quidem verbum, quod contemptum, indignationem, fastidiumque redoleat, e labiis, sanctae caritatis unctione perfusis, sinit excidere. Quinimo interdum obortis lacrymis, ut eximius olim praesul et doctor Ambrosius (1), super nefariis delinquentium casibus obstinatiores compellare animas, et nutantis elicere cordis fletum conatur ac satagit, acturus nunquam satis, usquedum errabundam lucrifecerit ovem, ad tutaque septa Crucifixi reducem victor et exsultans perduxerit. Quid plura? nonne haec, et adhuc multa nimis, ad poenitentiae sacramentum rite utiliterque gerendum tum apud sanctissimum praesulem Carolum Borromaeum (2), tum apud Habertum (3), et Cajetanum Bergomensem (4), ut alios fere innumeros mittam, affatim prostant? quae, o utinam assidua manu, a cunctis versentur presbyteris, consulimus et obsecramus.

Superest, ut, quod maxime pastoribus ceterisque attinet administris, ad Asceticam et mysticam theologiam vel raptim aliquid innuamus. Equidem et spirituum discretor, et animarum dux ac magister ad perfectionis tramitem fieri, hoc opus, hic prorsus labor. Neque vero illam spirituum discretionem contemplamur, quam gratis datam infusamque vocant, et quam septimo inter

(1) Paulin. *in vita S. Ambros.*

(2) *Act. Eccl Mediol. part.* 1. — *Conc. Prov.* 1. *const. part.* 2. — *Sacram. Ambros.* — *Instruct. poenit.* — *Avvert. ai Conf.*

(3) *Praxis. Sacram. poenit.*

(4) *L'uomo apost. al Confess.*

charismata loco enumerat Paulus (1), qua pauci admodum sancti plerumque viri donati sunt, et qua non solum *per ispirationem intimam et internum saporem ac spiritualem dulcedinem, vel illustrationem a montibus aeternis effugantur tenebrae omnis dubietatis* (2), sed etiam qua clare et aperte aliena percipiuntur abdita cordium, et quadam ab dono Spiritus Sancti luce singulari ac instinctu, a queis interiores animorum motus vel bonis vel malis exoriantur principiis, rectissime dijudicatur; sed de illa res nobis est, quam acquisitam dicunt virtutem, et quam omnes solerti industria animarum ductores consequi teneantur.

Diversos spiritum instinctus ex Deo, ex diabolo, ex nobis efformari, exploratum satis. Equidem, licet infuso virtutum habitu donemur, nonnisi tamen per actuales gratias spiritum suum in nos ingerit Deus: adeo ut ad virtutum actus, qui ab intellectu et voluntate promanant, eliciendos, et lumina et piae motiones quas ipse Deus accendat in cordibus nostris ad excitandos impulsus et inclinationes ad bonum et aversiones ad malum, apprime requirantur. Quoniam vero innumeri daemonum, *propter invidiam, profectum hominum impedire nituntur, et propter superbiam divinae potestatis similitudinem usurpant, deputantes sibi ministros destinatos ad hominis impugnationem* (3), interiores idcirco hominum sensus (quo rapse modo, quicquid sentiant mystici praeceptores, me fateor nescire) explorant atque pervadunt, et illas ad malum propensiones concitant stimulosque, quod spiritum diaboli nuncupamus Quum autem *sit ho-*

(1) 1. *Corinth.* 12. 10.

(2) Gersonius *de prob. spirit.*

(3) S. Thom. 1. *part. quaest.* 114. *art.* 1.

mo praecipuus impulsor sui, *qui sine alieno impulsu cadere potest* (1), ab nostra prorsus natura, post primi hominis lapsum labefactata atque infirma, pravae plerumque nascuntur concitationes, quibus humano quodam inardescimus desiderio ad carnis illecebras et stulta mundi, *duo satellites maligni illius principis tenebrarum* (2). Operae itaque praetium aequo ac prudenti discernere judicio, an hi, queis movemur, spiritus, boni vel mali sint, ut animarum duces tuto atque opportune ad salutis ac perfectionis limites eas perducere queant. Cui evincendae difficultati, haud sane facilem dignoscendorum spirituum artem sibi comparare potenterque nancisci directorem inprimis oportet: quum ejusmodi artis defectu, numquam vere quibus ab caussis motus procedant animorum poterit internoscere: et tum id, quod vituperandum foret, probandi, aut e contra; tum clanculas et fallaces praecipiendi leges in obvio versabitur discrimine: atque ideo, quin animas sibi concreditas ad perfectionis fastigium elevet, eis potius adversa obtrudat repagula, ac viam exstruat fortassis ad perditionem. Qua de re magistris atque ductoribus *non potest esse excusatio condemnationis*, *quibus fuit inveniendi facultas*, *si fuisset quaerendi voluntas* (3).

Quapropter e plurimis quae ad hanc adsequendam virtutem praesignantur, sat quaedam indigitasse. Ab divinis primum Litteris, ceu ex uberrimis verae sapientiae fontibus, dein e Patrum doctorumque praeceptionibus, necnon e Sanctorum documentis atque exemplis veriores

(1) S. Bernard. *in serm. Cant.*

(2) *Idem serm. de sept. spirit.*

(3) Chrysost. *Hom.* 44. *in Matth.*

discernendi regulae ac rationes nisu omni sunt ediscendae, ut propria cujuscumque boni, malique spiritus indoles, praecipuique caracteres dignoscantur, quos tum ab motu seu actu voluntatis aperte plerumque ac distincte novimus designari. Ingens vero hujusmodi stadium, a doctissimis dudum sanctisque viris emensum, breviori quoque curriculo egregiis eorum scriptis consectari, integrum cuique erit; inter quos eminent mellifluus doctorum Bernardus, Gersonius, mirabilis Genaevensium Antistes Franciscus Salesius, et Cardinalis Bona, et Scaramellius (1), ne alios fere sexcentos memorem, quos veluti magistros valde promeritos omnium vota collandant. Quoniam vero quidam interdum animorum motus non adeo manifeste pateant, ut, praelaudatarum praeceptionum ope, de iis certo definiri queat, an ex Deo, ideoque boni ac fovendi, an autem ex daemone, ideoque despicabiles ac mali, atqui arduum idcirco rectam de illis sententiam dicere; tunc praesertim, sicuti etiam incessanter, lux a Deo postulanda: eoque magis quum in actu dubia vel abstrusiora, quae director nec edisserere, neque valeat distinguere, quandoque exhibeantur, ut Pater luminum ejus adaperiat aures, et mentis tenebras dignetur depellere, imis enixisque precibus exorandus.

Necessum insuper de diversa spirituum qualitate animarum ducem in semetipso aliquid expertum esse, adeo ut, per quotidianas praesertim piae meditationis exercitationes, mendacem a motu sancto, lucem a tenebris discernere probe noverit; quod siquando propriis doctus periculis, magnis probationibus fuerit obnoxius, is quidem

(1) Attamen Scaramelli *caput* 11. *tract.* 5. caute legendum.

prae ceteris ad sibi notam tritamque viam percurrendam dux aliis prudens et aptior. Attamen, etsi regulae et documenta ad dispares spirituum conditiones dijudicandas haud sint fallibilia, quatenus divinis innitantur fundamentis, ipsa nihilosecius acquisita virtus non infallibilis censenda est, quia saepissime, an ipsis regulis rectissime apponantur judicia nostra, prorsus nescimus. Itaque in re tanta, multa profecto humilitate incedendum, et ab piis doctisque viris, siqua subrepat dubietas, consilium capere, eorumque sese libentius subjicere placitis, nequaquam erubescendum. Hinc neque subtiliorem aliquem, neve reflexivum nimis ac fere sophisticum expetimus directorem, qui cuncta ferme velit tamquam ad demonstrationem diducere: etenim numquam datum ei discreto prudentique judicio quicquam pactic e definire; neque rursus faciliorem, qui insuetis quibusdam ac mirabilioribus statim fidem adhibeat: meminisse juverit, quot fabellis et ridendis plane somniis mysticorum quosdam saepius indulxisse, et quot illusionum discriminibus obviam itum, quum praesertim de visionibus, colloquiis, revelationibus, aliisque similibus ageretur, in quae prae ceteris tartareus hostis subdole debacchatur, et quantum oporteat vigilare ob hypocrisis suspicionem, qua ex hominum malitia haud raro fallimur; non demum obstinatiorem, ac recenti quadam philosophantium rubigine respersum, qui rarioribus aliquando communicationibus, quae in ordine supernaturali extra ordinem fiunt, ultro fidem detrectet, quia non ab humanis sed e divinis rationibus spirituum magistrum ad aliquid statuendum moveri necesse est. Cautissime propterea id, de quo agitur, quaquaversum expendere, priusquam judicium instituat suum, ac maturius satagat undique pensitare: atque, ut ab iis,

quae patent, ea, quae videri nequeunt, intelligantur, externa opera juxta divinum oraculum *ex fructibus eorum cognoscetis eos* (1), diligentius inscrutentur; ac denique, ut omnis extrudatur dubitandi ratio, respiciendus est finis, ad quem interiores animorum motus apprime dirigantur, itemque circumstantiae omnes singillatim perpendendae, e quibus humanae plerumque actiones aut perficiuntur in bonum, aut saepius commaculantur.

Hisce ad rem animadversionibus, animarum ductorem recte sapienterque censere, aut saltem non procul a veritate distare, existimamus. Si motus animorum ab humano spiritu exortos deteget, hi numquam absque assidua infirmae inclinationis mortificatione superari posse deprehendet. Si ab spiritu tenebrarum vel intellectus impulsu, vel actu excitentur voluntatis, aut contrariis tunc desideriis et actibus, prae malignantis impetus qualitate, illico fortiter obsistendum, aut eosdem plane despiciendos docebit; *caput serpentis est, calca: quid est calca? contemne quod suggessit* (2). Interea vero, quoties per subdolas prope innumeras nocendi artes, quoad praesertim virtutum vitiorumque opera, hostem illum teterrimum, menti et cordi occursare contingat, viva continuo ad Deum obsecratione confugiendum; quum autem, praecipue ad orationem, imaginibus, machinationibus, parilisque illusionibus, versipellis deceptor ille, sese interdum in lucis angelum transfigurans, animam pulsare ausit et allicere, *rejiciat a se cum sancto, humili, verecundoque pudore, et humilitate hujusmodi evanescent, aut si velit*

(1) *Matt.* 7. 17. 18.

(2) S. Augustin. *Conc.* 4. in *Psal.* 103.

Deus, *quod in his tolerandis exerceatur*, *non nocebunt* (1). Quandocumque vero, instinctus atque motiones, haud dubiis exploratisque momentis ab Dei spiritu probentur effecta, o *quam ingens locus possessionis ejus*! *magnus est*, *et non habet finem*, *excelsus*, *et immensus* (2)! Quis enim obstupeat, obtutuque haereat in isto, incomprehensibilem Omnipotentis majestatem ab summo aeternitatis fastigio ad nostram usque imbecillitatem allicienti quadam veluti familiaritate desilire, exulemque ab terra miseriae animam in sinum ferre suum, benigniter confovere, vigilemque tueri, atque sacro caritatis foedere sibi consociatam suaviori vel fidissimi sponsi amore deperire? Ecquis vero ad haec mirae dignationis sanctaeque dilectionis labyrinta, ut operantis Dei beneficia ac magnalia, qua par est virtute obsecundent felices animae, aut altitudinem divitiarum, aut investigabiles vias ausit inquirere, etenim *neque viae vestrae*, *viae meae*, *dicit Dominus* (3)? Et tamen ipse *docebit nos vias suas* (4), *et sedere fecit mites pro eis* (5). Ad tantum igitur divinae bonitatis sacramentum selecti duces, praeclara ejusmodi ministeria peragere fideli pioque corde glorientur: atque inter multiplices directionis curas hoc inprimis nitantur praestare, ut praeelectam edoceant animam, neque optanda, neque renuenda quae in ea divinitus fiant, ac nihilominus ad quae viderit vel audierit haud amplius recogitandum; itemque ut maxima quidem humilitate, externo, ut ita dicam, neglecto cortice, tantummodo teneat fructum, suae videlicet exilitatis sensum, quem veluti signum adventus

(1) Gersonius *tract. de distinct. ver. vis. fig.* 1.
(2) *Baruch* 3. 25.
(3) *Isaiae* 55. 8.
(4) *Loc. c.* 2. 3.
(5) *Eccli.* 10. 17.

sui in ea reliquerit Dominus, libentius amplectatur: et mortificationis instinctum, et contemptum mundi, et perfectionis desideria, et virtutum amorem, quo cor ejus jam exardescit, toto animi nisu satagat consectari: et tam ad orationem, quam ad actus quoscumque alios, fidei tantum lumine, de more procedens, uberrimis hisce fructibus, ad pinguius spiritus incrementum, augescat de die in diem. Quinimo in praedilectas, queis sese misericors Deus communicet, animas, sollicitudo haec praecipua directoris ac maxima, ut tam favoribus, gratiis, ceterisque charismatum donis, quae sibi elargiantur, quam interiori suavitati ac solamini, quae ipsa consequuntur munera, nunquam inhaereant: pariterque, ne praesentis captae dulcedine, absentis amaritudine indoleant, apathi semper animo divinae penitus acquiescant voluntati, quum coelestis quandoque Sponsus ad magnum perfectionis culmen, et ad altissimam usque contemplationem animas sibi caras evehere praefiniens, eas idcirco, affectionibus quibusvis et adhaesionibus per anteacta dona praegustatis omnino destruendis, exquisitissimis, tam sensu, quam spiritu, purificationum cruciatibus septuplum septuplumque abluat et purget (1), ut ipsas postmodum ad castissimas intimae conjunctionis delicias, qua neque perfectior neque sublimior mortalibus in hac lacrymarum valle adhuc degentibus concessa, amantissime feliciterque perducat. . . . Verum, quaeso, ecquis ego, qui celsa haec et arcana reserare, ac veluti intemeratam Dei arcam, peccator homo pollutis labiis et servus inutilis, vel tantisper ausim deosculari? Abstinuissem utique, ni-

(1) S. Joan. a Cruce *in Noct. obsc.*

si me, spectatissime Praesulum, tua prorsus monita compulissent, quibus harumce lucubrationum et decus et pretium obtemperare, omnimodamque gerere voluntatem.

ILLUSTRATIONES.

(*A*) Poenitentiae satisfactoriae specimen ex Tertulliano *de Poenitentia num.* 9. = Sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum moeroribus dejicere, illa quae peccavit tristi tractatione mutare: pastum et potum pura non esse, non ventris scilicet, sed animae causa; plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari et mugire dies noctesque ad Dominum Deum: presbyteris advolvi et caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suae injungere; haec omnia exomologesis, ut poenitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, et temporali afflictione aeterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat. Cum igitur provolvit hominem, magis relevat: cum squalidum facit, magis mundatum reddit: cum accusat, excusat: cum condemnat, absolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.

(*B*) Putridae carnes ferro indigent et cauterio: nec est medicinae culpa, sed vulneris, cum crudelitate clementi non parcit medicus ut parcat, saevit ut miseratur. S. Hieronymus *Epist. ad Amandum.*

Si morbum tuum, quod absit, invenerimus induratum, violentiori nos coges insistere medicina, juxta quod necessaria cura deposcet: cujus asperitatem etsi forsan in praesenti refugias, sanitate tamen recepta, ipsius collaudabis effectum, et peritum quoque medicum benedices. Innocentius Pap. III. *Epist.* 2. 211.

(*C*) Exaltatio et inflatio, et errogans ac superba jactatio non de Christi magisterio, qui humilitatem docet, sed de Antichristi spiritu nascitur, cui exprobrat per prophetam Dominus (*Isai.* 2. *et* 14.). De ore itaque ac de verbis suis unusquisque statim proditur, et utrum Christum in corde suo an vero antichristum habeat loquendo detegitur. S. Cyprianus *Epist.* 55. *ad Cornelium Rom. Pont.*

Satagite, ut lenitate magis corruptiores animos vincatis: haud omnes plagae uno tantum medicamine convalescunt: aquulis et unguento irrorandae sunt, ne flamma succrescat. S. Martyr Ignatius *Epist. ad Policarpum.*

Si quis acta semel poenitentia, rursus idem peccatum admittat, liquet primam peccati illius causam non fuisse expurgatam, a qua veluti a quadam radice similia necesse est nasci. Quemadmodum si quis relicta radice voluerit arboris ramos resecare, nihilominus radix manens aliquid haud dissimile rursus producit: sic quoniam peccata aliqua non in seipsis habent principium, sed ex aliis originem ducunt, necessarium omnino est, eum, qui ab ipsis purus esse vult, primas peccatorum illorum causas tollere. ec. ec. S. Basilius M. *in Reg. brev. pertract. interrog.* 289.

(*D*) Constanter tenenda est justitia, et benigne praestanda clementia. Odio habeantur peccata, non homines: nunc corripiantur tumidi, nunc tolerentur infirmi: et quod in peccatis severius castigari necesse est, non saevientis plectatur animo, sed medentis. At si vehementior tribulatio incubuerit, non ita expavescamus quasi illi adversitati propriis viribus resistendo, cum et consilium nostrum et fortitudo sit Christus, ut sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus. Qui confirmans prae-

dicatores Evangelii et Sacramentorum ministros, *ecce ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Et iterum, *haec*, inquit, *locutus sum vobis*, *ut in me pacem habeatis*. Quae pollicitationes, quia sine dubio manifestae sunt, nullis debemus scandalis infirmari, ne electioni Dei videamur ingrati, cujus tam potentia sunt adjutoria, quam vera promissa. S. Leo M. *Epist. ad Rusticum Narb. Episcopum.*

Nullus unquam peccatum evasit, nullus confitendo indulgentiam Dei non meretur. *Confitemini*, inquit, *Domimino quoniam bonus*. Bonum Dominum hoc loco dicit, non justum: quia qui bonum ostendit, confiteri persuadet. Peccatorem enim bonus absolvit, justus condemnat. Bonus indulgentiam tribuit, justus merita peccatorum expungit. Apud judicem bonum confessio mater est indulgentiae: apud justum poenae debitum. Bonus confitenti tribuit veniam, justus competentem infert poenam. Unde sic fit, ut qui confitendo bonum sentire noluerit, justum sentiat reticendo, et quem confessio posset absolvere, ejus contumaciam possit severitas justi judicis abolere. Quare consule tibi, peccator, dum licet; qui, offensus est, suadet Dominus: ad miserandum ipse paratus est. Nam si qui contemptus est, misereri noluisset, rogares ut vellet: cum ipse misereri desideret, qui offendit, rogando non desinat. Liceat confiteri, cui peccare licuit: liceat petere veniam cui licuit contrahere culpam: indulgentiam postulet qui mandata contempsit: veniam optet, qui legis justa despexit. Confessio reddat quod peccatum detraxerat. Curet poenitentia, quod delictorum macula sordidarat. Serpentinum virus satisfactionis antidoto reparetur: peccatorum venena precum instantia depellantur, ut Dominum, quem nobis delicta fecerant

iracundum, reddant obsequia digna placatum; et qui a nobis fuerat peccatis offensus, confessione nobis misericors reddatur et pius. S. Joan. Chrysost. *Serm. de Confess. peccat.*

Primordia conversorum blandis refovenda sunt modis, ne si ab asperitate incipiant, exterriti ad priores lapsus recurrant. Qui enim conversum sine lenitate erudit; exasperare potius, quam corrigere novit. S. Isidorus Hispal. *Sententiar. lib.* 2. *cap.* 8., et S. Gregorii M. *Moralium lib.* 4. c. 7.

EPISTOLA XI.

Studiorum deliciae.

Me gravi forsitan indignantique reprehendet aliquis supercilio, qui gravioribus tantum disciplinarum suarum exercitationibus Ecclesiae alumnos adhuc tradiderim imbuendos, perinde ac si omni eruditionis accessione exornandos penitus negem. At quonam id praestiterim pacto, te quidem, Praesul optime, novisse puto. Quum enim e quavis re literaria, flagrantia juvenum ingenia maxime alliciantur, et naturali quodam ad plura congerenda, cunctaque persequenda abripiantur desiderio, ejusmodi iccirco cupiditas cohibenda, ne permultis et amoenioribus praeter modum intenti, ab iisdemque facile praeoccupati atque illecti, a necessariis Dei viro rite efformando, clerici quomodocumque arceantur.

Aegre quippe commemoramus, quod inter ipsa florentissimi aevi nostri praeclara lumina, inopes nos copia fecerit. Fateamur enim opertet, eximios summosque homines, quorum pretiosa consuetudine in adolescentia nostra usi fuimus, et queis haud absimiles e tanta literarum ubertate prodituros aequo jure speraremus, diebus hisce prorsus desiderari. Caussas inquirenti, ea praeter ceteras occurrit protinus, communior videlicet cuncta fere sciendi anxia libido incredibilis, quam potiori scientiarum incremento censuerim obsistere. In singulis plane coetibus plurimorum passim jactantia percellimur, qui altos gerere animos autumantes, absolutam notionum universalitatem

ostentare gestiant; siqui vero in aliqua disciplina satis versati, nisi scientiae sibi propriae omne eruditionis genus adjicerent, imperitiae et vecordiae nota affici pertimescant. Quid hinc? Ingenium, ut in proloquio est, intentum pluribus, intimiori acie et volenti laboris pertinacia necessum carere, sine quibus frustra quisque in facultate sibi proposita quaeritat eminere. Ecquis namque sibi suadeat, quemlibet, cordatum licet gnarumque, presbyterum, qui inter criticas historiae indagines incalescere, atque naturam indolemque idiomatum undequaque aveat perscrutari, qui deflorandis poetarum gerris tempora moretur sua, eoque magis si ad effroenes philosophantium quaestiones enodandas converti, ac inter sublimiores matheseos demonstrationes serio maluerit immisceri, quae sane totum exquirunt hominem, gravioribus insimul posse theologicae disciplinae meditationibus aptari, intraque praefinitos sacrae facultatis limites intellectum, veluti coarctare? Certis porro conclusa finibus mentis humanae vis, neve ad tanta coacervatim interque sese disparata objecta facile versatilis; quandocumque vero ingenium acre adeo elevatumque datum adinvenire, ut, ad omnigenam sciéndorum notitiam, sedulam expletamque navasse operam sibi polliceretur, nihilosecius, ob inhaerentem difficultatem ab amoenissima phantasiae aberratione identidem absiliendi inter obstrictos laqueos immobilemque positivae scientiae severitatem, vel nequisse verendum, vel noluisse. Nec sane tempestate hac quoque nostra quorumdam desunt exempla, qui ad sublimiora spe magna properantes, ad levia atque extranea volitando, sibi fucum fecere. Istorum, quaeso, qui sese, ut ajunt, enciclopedicos dici superbiunt, merito diffidamus. Sin autem, uti scioli quidam tumidis labiis deblaterant, parum ex cunctis sapere,

satis esse arbitrentur: hanc, hercle, deceptionem potius maximam dixero, quam doctrinam; dum enim cuncta leviter nitimur delibasse, nihil revera scimus. Quamobrem ad aliena studia transmeare numquam presbytero integrum esse putaverim, nisi prius ministerii sui disciplinas funditus hausisse, optimeque condidicisse videatur. Ejusmodi vero stadio feliciter emenso, praeacutum ingenium, tenaci memoria praeditum, criticisque numeris pollens, ab ingenio mediocri adhuc arbitror distinguendum. Huic namque sacrae necessaria facultati sufficere posse censuerim; secus, plurimis exaggerans cerebrum, rudem indigestamque molem praeseferet, quo naris emunctae viri ingeminent pro admiratione cachinnos. Alterum autem externis non modo ditari non abnuo: quinimo perdoctum solertemque pastorem, qui, studiis officiisque sibi propriis nusquam posthabitis, honesti etiam oblectaminis gratia, cuicumque studiorum, inhaereat, et qua par est Christi domestico prudentia, ad sui aliorumque aedificationem potius, quam eruditionem, eorum quae didicerit opportune ac modeste copiam fecisse laetetur, semper et ubique laudaverim.

Jam vero, hisce praenotatis, aetate atque rerum experientia obfirmatum, sacras ob facultates abunde versatum, atque ad sacerdotale, ac paroeciale quoque fastigium evectum, ad quodvis eruditionis genus libenter evoco. Et quoniam e morum disciplinis qualem esse Christi adseclam deceat, optime compararit, aequum atque perutile, ut qui fuerint, et qui re vera sint homines, dignoscat et judicet. Hinc historiae primum universae ipsi pateant monumenta, e quibus jucundum plane, nationum regnorumque vicissitudines, flagitia, virtutes, quae simul labentibus saeculis fluminis ritu feruntur, internoscere, scientia-

rum et artium exordia atque incrementa, virorum in re literaria, politica, bellica, vel alia quavis nota clarorum gesta, per biographos quoque si libeat, proprius inspicere; epochas proinde illustriores, loca, tempora, et quae fere innumera ab magna hac rerum magistra longe lateque suppeditantur, dilucide ac distincte praenotare; quibus peculiari quodam titulo aevi nostri, et quidem patriae, vel ejus loci, quem incolimus, historiae consociantur. Ab ejusmodi vero tantae molis congerie facilis ad rudera et monumenta veterum pervestiganda, ac notionem diplomaticam aditus, reique lapidariae atque numismaticae interpretandae et excolendae rectior breviorque via. Verum neque incuriosus, neque oscitans dormitansque, neve bonus quique in cunctis quae legerit acquiescens, exquiritur: sed qui prudenti accurataque critices arte, apathe candidoque animo, a falsis vera, a certis dubia, syncrona a remotioribus, ab studio partium legitima recte secernere ac pensitare, necnisi probatissimis adminiculis fulta valeat admittere. Quae sane cuncta Christi administro, eadem pacata mente perpendenti, totum hominem, undequaque explorandum, satis superque detegent, itemque monebunt, quia *omnia elevata sunt ad modicum*, *et non subsistent*, *et humiliabuntur*, *et auferentur* (1). Quum denique unicuique integrum volenti, profanae historiae et antiquioris paesertim Egyptiorum Graecorumve monumenta persequi, operae pretium facturos existimarim, si ad ejusmodi palaestram egregium *Guerini de Rocher* conferatur opus (2), quo vetusta earumdem nationum gesta atque portenta e Scripturis sanctis hausta primum, ab initio

(1) *Job.* 24. 24.

(2) *Histoire veritable des tems fabuleux.* Tom. 3. *Paris* 1777.

Geneseos ad finem usque libri Judicum, sequentium quoque, quae vera sunt, mutata veste effinxisse vel alterasse, mire ac sollerter ostenditur: atque id maxime utrobique praestatur, ut nempe divina historiae sanctae vindicetur origo, et ut larvae, fabulae, aequivoca, menda prope innumera, quae quidem recentioribus quoque scriptoribus fucum fecere, apertissime revelentur in iis, quae adhuc prostant ethnicorum voluminibus; qui primaevae hebraeorum linguae imperitia caeculantes, et suamet aberrantis phantasiae copia mersi, et tempora, et genus, et viros pro libidine commenti, cunctos fere veteris paginae patres celebriores in gentium heroas et mithologica numina turpiter transformarunt.

Quoniam vero eruditissimi hujusce saeculi nostri, quod vocitant *illuminatum*, undique laudes audire est, animadvertant idcirco pastores necessum ducimus, qua vere de caussa inflanti ejusmodi titulo visum praeludere. Etenim lucubrationum ac libellorum obruimur fere numero, qui e transalpinis, importuna tolerantia funeste dormitantium rei publicae moderatorum, in nostra quoque irruperunt, et quorum plerique vernaculo translati sermone furtivis inibi typis prodiere; in quibus vel tantillum versandis cordatus ac sapiens quisque deprehendet, praeclaram hujusmodi lucem nil aliud re vera esse, nisi praecipitem ac effraenem scribendi licentiam quam eousque ingemiscimus pervenisse, ut ex professo, vel occasione quaesita, vel scurrili dicacitate, divina humanaque omnia palam irrideantur, et quae certissima sole ipso clariora praefulgent, dubiis callidisque umbrarum involucris obtegantur (*A*). Turpia haec mundano obrutis pulvere philosophantium turmis, incautis nimium juvenculis; ne mulierculis quoque adjiciam, curae ac delicium, haec iis lecti-

tata ac retenta: amari insultantium joci pro sententiis, sunt pro invictis argumentis sophismata, triumphum veluti egisse jactitantibus, si quandoque nonnulla hujus furfuris deliramenta, eo quod elegantiori pressoque stylo conscripta, effutire superbiant. Quamobrem, quum ejusmodi luem prorsus ac perniciem maximam, plurimorum unam, quae dudum Ecclesia patitur, malorum caussam fuisse crediderim; omnes ideo pastores monitos velim, ut recta pridem ratiocinationis arte luculenter exculti, atque inconcussis sacrarum disciplinarum fulcris innixi, hydrae huic praefocandae toto nisu dent operam, ac peculiare istud prae ceteris studium in deliciis habere consuescant. In quo plane certamine tela tutissima, ac facile jaculanda, magna eis strenuorum manus protendet; quorum et unum et alterum memorem, et praeter veteres, Vernesium etiam, Nonnoctem, Zaccariam, Fassinium, Muzzarellium, aliosque recentiorum mittam quamplurimos, Valsecchio (1), Houttevillio (2), Spedalierio (3), libentius adhaererem; e quibus imas hostium latebras, centies licet centiesque jam dudum detectas atque prostratas, et opportuniorem dimicandi rationem percunctari queant (4) *(B)*: quo occasione passim ingruente, improborum, qui *diserti adversus*

(1) *Fondam. della Rel., e font. dell' emp. = La Rel. vincitr. ec.*

(2) *La Rel. Crist. dimostr. co' fatti.*

(3) *De' dritti dell' uomo. Assisi* 1791.

(4) Clarissimi Praesulis Alexand. M. Tassoni egregium opus *la Religione dimostrata e difesa. Roma* 1805. Heic maxime commemorandum: in eo scilicet praestantissimus auctor et quae ad Relligionem sacrorum adstruendam tuendamque divisim effata pridem, et quae adhuc adjicienda supererant, numquam repetunda satis, breviter, solide, eleganter collecta tenet.

justitiam, *eruditi pro falsitate* (1), petulantiam retundere, absque sale deblaterantium ora oppilare, et salutarem infirmis propinare medicinam; neve unquam eis coram sinant effraenem quemque ardelionem in relligionem sacrorum impune debacchari, quin simul, aliquo semper animi moderamine, servataque ubivis caritate, par pari referant, illud magni Hieronymi, vel fere ludicre, apposite attamen, usurpantes, *canes latrant pro dominis suis, et tu non vis me latrare pro Christo* (2)? Fides enim a pastoribus verbo, a perdoctis calamo, humili ad Deum prece a bonis cunctis, qua datum ope, tuenda est (*C*).

Quandoquidem vero ab solo rationis lumine liberiores subtilitates et paradoxa capessunt, ac vel naturae viribus impudenti novitatis ardore relligionem sacrorum impetunt adversarii, eo libentius parilibus quidem armis apposite decertandum, quo magis naturales facultates ceteris quoque disciplinis praesidio esse, atque eximiam prorsus opem ad divinorum scientias afferre videantur. Selectiora hinc e metaphysicis disquisitionibus argumenta depromere, multiplex profecto nec inamoenum studiorum oblectamentum. Abuti sane viderentur patientia, si quae apud veteres, quae apud recentiores invaluerunt, hypotheses, systematha, opiniones, ac deridicula persaepe somnia singillatim persequerentur. Sat ea cuncta nosse, selegisse meliora; deteriora vero ac nefaria, subtiliter quamvis inventa, elegantius exposita, magnificeque a scriptoribus concelebrata, utpote quae a puriori sinceroque rationis lumine, et ab ipsis divinae fidei documentis abhorreant, omnino respuere.

(1) S. Bernard. *de considerat. lib.* 1. *c.* 8.

(2) *Apol. contr. Ruffin. lib.* 3.

Uberrimam plane provinciam aggredientur qui physicae universae, e recentiorum animadversionibus ac periculis castigatiori atque limatulae, indulgendum sibi proposuerint: qui in geometricis, et algebricis demonstrationibus, aliisque mixtis matheseos partibus valeant meditari; quae quidem, improbo licet labore, nec brevi tantum digressione percurrenda, Ecclesiae administro scitu prorsus dignissima existimarim. Naturali quoque historia ruri praesertim degentem parochum tantisper excultum laudo: opticae gnarum atque ope telescopii in coelesti opificio magnalia Dei reserantem admiror; ast aegre ferrem vel inter fumosas chemiae officinas insudantem, vel si sanctiori studiorum cubiculo experimentalis physicae vel praepotentis chemiae supellex admisceretur. Ab hujusmodi vero immani prorsus ac fere intermino naturalium scientiarum acervo, dubiis innumeris ac defectibus, post tot a summis viris exanthlatos labores, easdem apprime obnoxias fateamur necesse est; et quamvis cunctam prope naturam dignoscere sapientes saeculi ultro sibi suadeant, plurimum adhuc operis deesse, parumque suomet mersae lumini humanae mentis viribus innitendum; adeo ut prudens quisque vereque sapiens ingenue sibi cogatur dicere, *existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei* (1), qui *mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem* (2). Prudenter eapropter ac sobrie studiis ejusmodi Dei homines incumbere, atque *ut retineant, quod est difficillimum, ex sapientia modum* (3), cautissime satagant; ac

(1) *Psal.* 72. 16. 17.
(2) *Eccl.* 3. 11.
(3) Tacit. *Vit. Agric.* c. 4.

27

tandem, ne quae gravioribus et suis exornandis exercitationibus, ad honestumque animi levamen consulimus, necessariis debitas officiis raptent horas summopere praecavendum.

Praeterea quam longe aberrent et in scientia SS. Canonum peregrinos se ostendant, qui medendis etiam infirmorum corporibus rurales pastores autument praesto esse, facile videas. Sin imo, se tantum animabus omnimode curandis, ad aeternamque salutem dirigendis subfectos, prorsus immemores, clinicae operam impendere, morborum prognostica vaticinari, praebere insuper medicamina non vereantur, se noverint imprudenti egisse consilio et gravissimo interdum exposuisse discrimini; quamvis aliunde, si ruri praesertim physicorum ope deficiente, febrilibus accessibus, pulsusque motibus dignoscendis, ut sacra opportune ministrentur, practicis quibusdam regulis praestent, utique commendandi. Quí autem et georgologum esse parochum necessario postulent, et qui cathedram veritatis in scholam rei agrariae vertendam, e futilibus quorumdam lucubratiunculis, asserere non dubitarint, minus audiendi; nimia immo aliquorum atque acris coercenda sollicitudo, qua, studiis quibuscumque posthabitis, fere agricolam agere, diemque de more perdere inhiant, necnisi segetum ac vinearum sapiunt verba conferre. Bona, Ecclesiae dedita, fideles administri diligenter servari, et quo potuerint modo in melius aptari satagant, idque sat est.

Aliquod insuper ad rem litterariam e classicis profanorum omnium scriptis emolumentum aeque ac delicium inficiari nequit plerumque obventurum; tametsi ab cunctis plurima et eligenda ut legantur, et ut eligantur legenda. Ea quippe cautissimo versari optant judicio. Pu-

rissimi namque scriptores impuritatis eliminandi omnino, flammisque absumendi; ab iis autem, quos, specie recti deceptos, cupidines, errata, facinora ethnico more considerantes noverimus, vel facile abstineamus, vel raptim quae nobis minime probata inoffenso decurramus pede: semper enim absconditum virus, quod naturalis elegantium ejusmodi lectionum voluptas sensim depravare cor sinat, extimescere est; ubi vero virtutum praeclara, solo quamvis rationis lumine, celebrentur, et flagitiorum execrentur nefaria, integrum esse viro Dei aliquando immorari, Patres quoque censuerunt (1). Nonnulla quoad poesim attigimus alibi, nec repetenda. Pauculis raro ad rem sacram subsecivis horis praeludere, et selecta probatissimorum effata, atque romanae praesertim urbanitatis delicias ac lepores ad bonam sibi frugem seponere, minime vetitum: *etiam dicta clarorum virorum ediscere inter lusum licet* (2); Patrum enim praeclarissimos, ipsumque magnum Paulum, quidquam e graecis latinisque aliquando decerpsisse, mediisque retulisse sermonibus, videre est. Presbyterum vero poeticis nugis tempora saepius morantem sua, tragica, scenica quaelibet inscribentem, legentem quoque, despiciunt cuncti. Percelebris caesarei poetae dramata optimus noster Montanellius semel in cujusdam magnatis aula se vidisse mihi retulerat, aliquot ibi versiculos, o utinam a plurimis imitandus! levi oculo inspexisse testatus. Absit autem, ne parva ac selecta pastoris bibliotheca vel uno romanensium, similisque furfuris libellorum dehonestata, turpe Christi domestico praebere delicium, grave aliis seu scandalum seu damnum impingere videatur. Numquid ad

(1) S. Basil. *de Instit. Juven.* (2) Quintil. *Inst. Orat. l.* 1. *c.* 1.

ludicra, et tricis ac lubricis plerumque referta, ad tenebras, ad mendacia, sanctimoniae, luci, veritati pars ulla? Vae queis saeculi adhuc coeno sordescentibus ingemiscens gentium Apostolus praenuntiavit, quia *prurientes auribus, a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* (1). Nonne ab veteris novique Testamenti intemerata fide et monstra et portenta, si mira quaeritent, e splendidis Ecclesiae monumentis, si grandia captent, et quaelibet exoptentur virtutum specimina, signa ac facinora heroum praeclarissima? Annon, si florida dictionis copia alliciantur, et disertissima Patrum volumina, et didascala, et oratoria elegantissima; et potiora atque utiliora omnis aevi sexcenta, eam satis superque praesceferent?

Praecipuas eapropter ac fere novas ab exotericarum linguarum cultu integrum erit libare delicias; eas enim nequaquam omni viro theologo apprime necessarias, uti praepostero quidem judicio conviciator Clericus deblateravit, existimamus. Dignam presbytero, graecam prae ceteris omnium vota commendant. Plurima enim ab ea graecanicae sapientiae lumina late patebunt. Ecquis plane, grandiloquam, flexanimam, divinamque fere Crysosthomi eloquentiam, gravem simulque candidam Athanasii perspicuitatem, Basilii proprietatem fandi energicam, suavem, excultissimam, puriorem Nysseni panegyrim ac epicedia, oestrumque Nazianzeni propheticum sane, sublimemque majestatem, promeritis unquam poterit laudibus exaequare? Sed et novi Foederis autographis pervolvendis, quum *sit graecorum sermo latior et lingua feli-*

(1) 2. *Timoth.* 4. 4.

cior (1), ab vocum emphasi ac vi, incertis versionum naevis extrudendis, sententiarum significationibus ac verioribus inter lectionum varia disquirendis, patulum iter et aptius. Quoniam vero in cunctis fere disciplinis et artibus voculas ac titulos ab graecis fontibus auspicamur, vel ex ipsa nomenclatura protinus rem nosse, utile prorsus atque jucundum. Quod si graecis excultus, hebraicis quoque litteris ad Biblia sancta uberius inscrutanda pastor impenderit operam, aeque commendandus: eas namque theologis perdiscendas, et Clemens V. in generali Viennensi concilio, Patrumque placita commonuerunt (2). Etenim quamvis in antiqui foederis paginam nonnullae fortasse depravationes, quod suo loco adnotavimus (3), dudum irrepserint, attamen sive ad ipsa menda quae in diversis codicibus exciderint corrigenda, sive ad ambigua sensa e latinis graecisque voluminibus promanantia clarius enodanda, sive ad interpretationum sinceriora, quae sub hebraicis radicibus quandoque latent, et quae latinum graecanicumque idioma nequit satis exprimere, detegenda; *ne quidquid de fonte proficiscitur, hoc quaeramus in rivulis* (4), plurimum oppido hebraeas litteras profuturas esse non est ambigendum. Verumtamen id sedulo animadvertamus oportet, quod quum Vulgatam nostram Ecclesia sanciverit, modeste idcirco atque sobrie tum graecos, cum hebraicos latices consulere est, ne praesertim e lectionum variantibus, versatili radicum ambiguitate, et apicum ac vocalium punctorum additionibus, ad futiles erroneasque detorqueantur interpretationes divina oracula, sicuti helluo-

(1) S. Hieron. *Com. in Epist. ad Eph.* 1. 4.
(2) S. Augustin. *de doctr. Christ.* *l.* 2. *c.* 12. 13.
(3) Epist. VII.
(4) S. Hieron. *l. c.*

num quorumdam subtilitate saepius evenisse doluimus. Accedit insuper vivarum, ut ajunt, linguarum, si libeat, perutilis quidem notio ac decora; nec sane, ut, galli aut angli personam veluti gerentes, de re quaque, familiari quadam consuetudine, quod sciolis hodie ac mulierculis passim de more est, deridicula prorsus periphrasi ac pronunciatione obloquamur: sed ut plurima quae ab exteris oris ad severiores facultates atque ad rem literariam, illustria et optima, prodiere, canto semper prudentique animo inspiciamus. Quum vero nullus profecto ignoret, Flechierum, Bossuetum, Bourdalonium, Massillonum, alios, tamquam recentiores sacrae eloquentiae principes, nec forte immerito, in Galliis haberi, e praedivitibus ideo eorum promptuariis ad fideles pie diserteqne edocendos plura et egregia nancisci, ac nostra prorsus facere, integrum erit.

Ad quecumque tandem omnimodae eruditionis genera operam navantes suam, volenti animo pastores cunctos admiramur, et ingenuis prosequimur commendationibus, dummodo non eis dominetur *doctrina voluptatem, non etiam utilitatem captans* (1): quia *non faciunt bonos ista, sed doctos* (2). Meminerint, obsecro, assidua sese studiorum exercitatione munitos, non ut inanis gloriolae cupiditate sapientiores ab hominibus salutentur: non ut occasione qualibet, eaque saepius inopportuna, turgidis labiis cuncta ventilare, ac censoria virgula arrepta, quasi aerem verberantes (3) proferre prae aliis praesumant oracula; erunt enim, *velut aes sonans, aut cymbalum tinniens* (4), *senper discentes, et numquam ad*

(1) Crysostom. *de sacerd. l.* 3.
(2) Senec. *Epist.* 106.
(3) 1. *Corinth.* 9. 26.
(4) *Ibid.* 13. 1.

scientiam veritatis pervenientes (1), re infecta postremo dicturi, *per totam noctem laborantes*, *nihil cepimus* (2); sed ut quo magis sapiant, eo validius prospiciant sibi, et salutis tramitem populis sibi creditis *in omni patientia et doctrina* (3) tuto ac humiliter praeostendere valeant. *Duc in altum* (4), pastor gregis Christi, et quaevis te scientiae flumina exsaturarint, perfice, ut tibi fiant *fons aquae salientis in vitam aeternam* (5) (*D*).

(1) 2 *Timoth.* 3. 7.
(2) *Luc.* 5. 5.
(3) 2. *Timoth.* 4. 2.
(4) *Luc.* 5. 4.
(5) *Joan.* 4. 14.

ILLUSTRATIONES.

(*A*) Heu miseranda conditio! Quantis illis curarum aestibus, quantis turbinibus exagitantur! Nunc etenim qua ventus impulerit, incitato errore rapiuntur: nunc in semetipsos reversi, tamquam contrarii fluctus, reliduntur; nunc temeraria praesumptione et ea quae incerta videntur, adprobant: nunc irrationali metu etiam quae certa sunt, expavescunt: incerti quaeant, qua redeant, quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quae quidem dubii et male penduli cordis afflictio, divinae erga se miserationis est medicina, si sapiant. Idcirco etenim extra tutissimum Catholicae fidei portum diversis cogitationum quatiuntur, verberantur, ac pene enecantur procellis; ut excussa in altum elatae mentis vela deponant, quae male novitatum ventis expanderant; seseque intra fidissimam stationem placidae ac bonae Matris reducant et teneant; atque amaros illos turbulentosque errorum fluctus primitus revomant, ut possint deinceps vivae et salientis aquae fluenta potare. Dediscant bene quod non bene didicerant; et ex toto Ecclesiae dogmate, quod intellectu capi potest, capiant: quod non potest, credant. S. Vincent. Lirinensis, *Commonitorium cap.* 25.

Noctuae oculis similes ii sunt, qui in inani sapientia operam posuerunt. Etenim, ut illius oculi noctu valent, interdiu autem obscurantur; sic horum animus ad rerum vanarum speculationem acutissimus est, ad verae autem lucis cognitionem hebes et caecus. S. Basil. M. *Hom.* 8. *in Hexam.*

Prima sapientia est, sapientiam in verbis et dictionum argutiis, inque fucatis et minime necessariis disputationibus sitam, pro nihilo ducere.... Nec enim qui sermonum sapientiam sibi comparavit, hic protinus apud me sapiens est: nec qui expeditam habet linguam, ceteroqui vero imperitum animum: velut nimirum sepulchra, quae quamvis externa pulcritudine et elegantia niteant, interne tamen cadaveribus foetent gravemque putorem tegunt. S. Gregor. Nazianz. *Orat.* 15.

Quamvis sapientes in superficie videantur, medullitus tamen veritatis arcana non tangunt. Semper enim superbi legunt, quaerunt, et numquam inveniunt. S. Gregor. M. *Moral. lib.* 20. *cap.* 9.

(*B*) *Ad regarguendos incredulos recentiores philosophantes, ad rem videre praestat* S. Augustini *libellum* de Fide rerum quae non videntur, *in quo subjecta multifariam versatur materies, et argutiunculae et sophismata., a novissimis incredulis tumenti verborum aestu veluti nova usurpata, sibi dilucide objicit praeclarissimus Pater, et solidioribus argumentis facile exsufflat dissipatque.*

(*C*) Demus operam, ut nec ad bonum pigri simus, sed spiritu ferveamus; ne alioqui paulatim in mortem obdormiamus, aut dormientibus nobis prava zizania hostis superserat, pigritia enim somno conjuncta est; nec rursus cum temeritate et caeco nostri amore acris ac fervidi, ne alioqui in transversum abripiamur, viaque regia excidamus. . . Quin potius . . . ex illa mansuetudinem, ex hoc autem zelum fugiamus, illius nempe pigritiam, hujus vero temeritatem . . . . Nemo igitur sapientior sit quam conveniat, nec lege exactior, nec luce splendidior, nec norma rectior, nec praecepto Divino sublimior. Id vero qua tandem ratione consequemur?

Nempe si modesti et compositi esse curemus. ec. S. Gregor. Nazianz. *Orat. de Moderat. in disput. servanda.*

Timeo ne connivere sit hoc tacere: timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus caussis non caret suspicione taciturnitas: quia occurreret veritas si falsitas displiceret. Merito namque caussa nos respicit, si cum silentio faveamus errori. Ergo corripiantur hujusmodi: non sit his liberum habere pro voluntate sermonem. Desinat incessere novitas vetustatem; desinat Ecclesiarum quietem inquirendo turbare. S. Caelestinus Papa *Epist. ad Galliarum Episcopos Cap.* I. Unde resistatur talibus, quos male crescere videmus. Nefas est haec pati religiosas animas, quarum afflictione, quia membra nostra sunt, nos quoque convenit macerari. Non est agentium caussa solorum: universalis Ecclesia quacumque novitate pulsatur. Quod ita probare poterimus, si imposito improbis silentio, de tali re in posterum querela cessabit. *Loc. c. Cap. II.*

Quantum inter ipsa recentium calamitatum ferventia pericula comperimus, perniciosiorem diabolus Christianorum mentibus labem quam corporibus hostilis feritas irrogavit. Quod malum principaliter illarum regionum respicit sacerdotes, qui tanta segnitie, tantaque ministerii dissimulatione suscepti, commissarum sibi negligunt regimen animarum, ut eas etiam ab exiguis quibusque bestiolis lacerari sub conspectibus suis impune patiantur: quin immo subrepentes nequitias confovendo, et depravatoribus adquiescendo fidelium, non solum eas minime retrahant, sed ipsi magis praebeant propria nutrimenta perditionis exemplo. Quid autem essent acturi, si (quod absit) vel aliqua nova pestis et primitus ignorata prorumperet, vel ingeniis acrioribus sensibusque versutis, aut

aliqua saecularium doctrinarum peritia callidis, sacrilega blasphemiarum dicta promerentur, qui tam veteris erroris detrita commenta, tamquam majoribus Ecclesiarum magistris, quam etiam nostra aetate convicta non recolunt, nec refutant, atque ab imperitis stultisque prolata non respuunt. S. Gelasius Papa I. *Epist. ad Episcop. per Picenum.*

(D) Sic adhibeatur scientia tamquam machina quaedam, per quam structura caritatis adsurgat, quae maneat in aeternum, etiam cum scientia destruetur; quae ad finem caritatis adhibita multum est utilis: per se autem ipsa sine tali fine, non modo superflua, sed etiam perniciosa probata est. S. Augustinus *Epist. 2. ad Inquisitiones Januarii Cap. ult.*

EPISTOLA XII.

De officiis paroecialibus acroasis.

Siquando pastoralis regiminis, onus angelicis humeris formidandum, Tridentinorum Patrum oraculo jure dictum, munera universa et officia considerentur, tantae profecto molis atque difficultatis invenientur esse, ut nonnisi divina opitulante gratia praestanda facile videantur. Quoniam vero miserentis Dei providentia dispositum, ut ad quamlibet divinitus eligamur potentiam, ipsius rite obeundis actibus, supernaturalium, qua par est, auxiliorum sufficientia roboremur (1), *sufficientia* enim *nostra ex Deo est*, *qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti* (2), cunctae eapropter difficultates, quandoquidem obex nullus coelestibus hisce obtrudatur praesidiis, veluti evanescere dignoscuntur. Accepta nimirum quinque talenta, precipua videlicet charismata, quibus is, quem constituit Dominus super familiam suam, et praesul, et offerens, et dispensator, et praedicans, et benedicens, protinus redditur, quin fodiens abscondat in terram, alia rursus quinque, fidelis servus et prudens satagit superlucrari. Ingenti sane volumine foret adlaborandum, si tot tantisque perpendendis singillatim muneribus inmorari tulisset animus; dum vero, cum ad didacticam, tum ad praxim explorata haec

(1). S. Thom. *in suppl. qu.* 35. *art.* 1.

(2) 2. *Corinth.* 3. 5. 6.

ab innumeris prope scriptoribus abunde prostent, quumque ad poenitentiae sacramentum animadversionibus aliquot jam praeluserimus, ac seorsum quaeque de praedicandi munere alibi subjicienda, pauculis in praesentiarum selectioribus ad reliqua properemus.

Magnum quidem homini praeesse: populos vero in mortali hac regere vita, ut ad beatam felicitatis perennitatem deducantur, sublime prorsus ac maximum. Porro jura principum atque imperia reverimur et admiramur: sed ea, quoad tantum civiles personas, intra hujus saeculi terminos, ditiones sibi subjectas nequaquam excedere novimus; at ipsis imperitare animis pastorum auctoritatem, et ad interminos usque aeternitatis fines pertingere. Parentibns, e quibus data nobis vita, et ad benefaciendum et ad puniendum jus in genitos undequaque tributum, quum tamen eos neque ab laethalibus infirmitatibus, neve queant a mortis faucibus liberare; Christi administro ad novam utique vitam vere datum animas regenerare, lapsas ad veniam erigere, ne recidant paenis coercere, monitis praemunire, et tamquam vere domestico Dei et vigili ac pio mediatori reconciliationem earum, sanctificationem, aeternaeque salutis et vitae opus grande perficere. Celsa equidem haec atque miranda, cuique tamen credita sacerdoti. At, *vade, et pone speculatorem* (1): o quam ingens dignitatis fastigium, sed et difficilium sibi munerum culmen exaggerant, quot discriminibus pervias tribulisque obsitas sibi quaeritant curas *qui bene praesunt presbyteri* (2)! Primulus proximiorque philautiae veluti comes praeminentia: quandoquidem vero in die ho-

(1) *Isai.* 21. 1. (2) 1. *Timoth.* 5. 17.

noris extollimur, et plerumque *vanitate seducti sumus* (1), arduum plane, ad quae nulla praesertim exterius vi, sed nostro prorsus instinctu ferimur cuncti, ferociores duo, tamquam satellites vanitatis, inflantem scilicet spiritum et vitae superbiam declinare. Quamobrem siqui forte hujusmodi cupidinibus, quo magis domesticis, eo magis periculosioribus, inveniantur obnoxii, etiamsi multa polleant virtute, siquando tamen vel injustae ab superioribus aut inferioribus querelae, sollicitae importunitates, injuriae quaeque, livida asperioraque verba utcumque perferenda obversentur, en illico veluti scopulum, quo omnis eorum virtus miserrime allidit, adeo ut tamquam frementes bestiae sese prodant, inque rugientes impetus excandescant. Hinc avida laudum appetentia, et effroenata honorum ambitio incredibilis (*A*): ad elationem potius quam ad aliorum salutem scientiae inanis acervus, ne dicam fere commentum: ad laudabiles cujuscumque proventus zelotypa livescentis aemulatio cordis, in aliorum obeundis muniis defectu malignans volupe subridens delectatio (*B*). Hinc et praedivitibus et potentioribus ac prorsus immeritis non solum reprehensio nulla, verum etiam turpi quandoque assentatione litatum, in parvos autem et pauperculos intoleranti quodam contemptu correctio acrior atque exardescens. Hinc denique diffidentiae ac profundae dissimulationis animus, qui sub specioso prudentiae velamine subrepit ac latitat, aliaeque plurimae praevaricationes, quas praevalido Chrysosthomi stylo confixas videre est (2) (*C*).

Jam vero ab hujusmodi, siqui forte exstent, rectoribus, de quibus, *pastores tuos pascet ventus* (3), apposite

(1) *Esdr.* 1. 7.

(2) *De Sacerdot. lib.* 3. *c.* 7. 9. 10.

(3) *Jerem.* 22. 22.

praenunciatum, recedat oratio nostra. Equidem, ut qua par est dignitate populis praesideatur, si unum pastoris nomen sufficeret, et quaelibet ejus ministerii officia superficiali quadam ratione ita perficere, ut hominibus tantum satis fieret, haud facile nihilosecius regimen animarum; atqui dum *spontanee secundum Deum* (1) utique ministrandum, magnum quid arduumque magis praesignari sibi pastor deprehendet. Nam haud vulgaris quaedam animi celsitudo, qua non modo super sibi subjectos emineat, verum etiam se super se quodammodo levare videatur, in arce regiminis necessaria primum adstruitur. Gravis hinc, quocumque tamen fastu et cujusque spretu depulsis, fere majestas, non elatione aut severitate inferioribus odiosa, sed quae potius eorum reverentiam ultro sibi captare promereatur. Vehementia insimul spiritus zelotis, et invicta animi fortitudo: namque *manus fortium dominabitur* (2); sed jugiter meminisse pastorem juverit, quia *sceptrum habet ut homo* (3); scilicet *in auctoritate, quod formident, subjecti videant, et de humanitate, quod imitentur agnoscant: atque inter haec solerter intuendum est, ne dum immoderatius custoditur virtus humilitatis, solvantur jura regiminis* (4). Quia vere *dominabitur in laboribus* (5); opus est enim lynceo mentis acumine, ut *qui praesidet, corporis Christi oculus, omnia circumspiciat, omnia circumlustret, etiam ventura praevideat* (6), ut ordini, disciplinae regulisque servandis *instantia quotidiana* et *solicitudo* (7), quaquaversum dirigan-

(1) 1. *Petri* 5. 2.
(2) *Proverb.* 12. 24.
(3) *Baruch.* 6. 13.
(4) S. Greg. M. *Pastoral* *p.* 2. *c.* 6.
(5) *Eccl.* 2. 19.
(6) Origen. *Hom.* 7. *in Josue.*
(7) 2. *Corinth.* 11. 28.

tur ac ferveant. Impiger idcirco scrutator gregis, ejus indolem explorare satis, rem tacite considerando, non desinit: et quamquam domesticis familiarum negotiis se quoquo modo renuens de more inmiscere, dissidiis tamen componendis, statim ac evocatus quandoque fuerit, demulcens animos, providus et amans concordiae ac pacis apprime conciliator et auctor. In viis tamen ambulans aequitatis, non hominum personam veritus, non cujusvis precibus pro mundi honestate inclinatus, inflexili quidem constantia, severiori interdum objurgatione errantes corripit: sed sobrietate quadam prudentique benignitate, haud unquam tristis humore, rigidus, at non exasperans aut saeviens, vel duriusculam pertinaciam mollemque pariter tolerantiam devitans, elatiorem flectitate zelum, eumque lenitate ubique semper satagit attemperare. Insuper et pietatis suae viscera dum ad ovium casus, infirmitates, aerumnas paterna explicans caritate, languentes demulcet ac roborat, earumque et gaudet adgemere lacrymis, cor et sensum magni Pauli adsequutus, gloriatur in Domino, *quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (1) ? *optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis* (2). Vitam denique suam consummata prorsus virtute probatam ita componens, ut inter multiplices paroecialium munerum exercitationes, nil aliud, nisi Ecclesiae utilitatem atque aedificationem fidelium quaerere videatur (3).

Num vero quae mox umbratili veluti excursu munera recensuimus, aliaque plurima inferius innuenda, absque personali praesentia praesul animarum praestabit?

(1) 2. *Corinth.* 11. 29.

(2) *Rom.* 9. 3.

(3) Chrysost. *de Sacerd. lib.* 3. c. 16.

Necessariam apprime residentiam inde patet, ad quam pastores jure teneri divino, theologorum plerique haud quidem levibus innixi momentis passim adfirmant. Sed quo potissimum fonte residendi promanet obligatio, fere supervacaneum inquirere, postquam Tridentina Synodus ejusmodi residentiam adeo praefiniit, ut non residentes laethalis culpae reos declaraverit, et ad perceptorum redituum restitutionem, pro rata temporis absentiae, privilegiis et consuetudinibus, quas corruptelas dicere non dubitavit, abrogatis, adegerit (1). Equidem ad bimestre abesse indultum rectoribus, ita tamen ut per Episcopum *discedendi licentiam in scriptis, nisi ex gravi causa, non obtineant* (2). Aequae vero caussae, christiana nempe caritas, urgens necessitas, obedientia debita, evidensque Ecclesiae vel rei publicae utilitas, praesignatae. Insuper ab sacra Concilii Congregatione declaratum, *non posse parochos per duos menses, immo nec per hebdomadam, abesse, absque licentia Episcopi, quae, causa cognita, et in scriptis concedenda est* (3). Quoad autem duorum vel trium dierum, altero ad paroeciam subfecto presbytero, et quoad unius tantum diei, nullo gerente vicem, absentiam, inter diversa opinantium auctorum placita, non suae modo dioecesis constitutionibus, sed propriae praesertim conscientiae, cui verae innotescunt ac legitimae caussae, innitendum. Porro ad triduanam discessionem, Ordinarii licentiam in scriptis obtinendam, pro sua tunc Bononiensi dioecesi sapientissimus Lambertinus decrevit; unum autem eumdemque intra diem, raro tamen, et

(1) *De reformat. sess.* 6. *c.* 1., *et sess.* 23. *c.* 1.

(2) *Ibid.*

(3) Fagnanus *in cap.* Relatum *de cler. non resid. num.* 32.

dummodo aliqua e supra recensitis adforet caussa, et probatus alius sacerdos substitueretur, indulsit absistere (1). Ubi provisum novimus, ut si gravis ac talis abeundi urgeat repente necessitas, quae ob curiae distantiam omnem videatur dilationem excludere, quamprimum de recessu certior Episcopus fiat, ut de caussae possit aequitate cognoscere. Ceterum nec senilem aetatem, neque aëris intemperiem a residentia exscusare, compertum satis: quum alioqui infirmo rectori, qui in paroecia sua medicis careat, quod apud nos profecto rarissimum, aut usu thermalium aquarum ageat, alibi ad quatuor menses, de antistitis licentia, integrum esse censent inmorari. Quid vero de nonnullis, ecclesias in suburbiis regentibus, qui apud benigniores Ordinarios enixius agunt, ut praeter festos dies, jugiter in civitate versari queant, itemque de iis, qui sese a residentia eximi postulent, futilem aucupantes caussam ab pauculis familiis, quibus praesto esse parochum vinciniorem polliceantur? *Sacra Congregatio*, teste Fagnano, *consulta*, *an parochus teneatur residere*, *etiamsi essent in illa Parochia tres tantum*, *vel quatuor incolae*, *respondit*, *teneri* (2).

Ecquis tamen sibi suadeat, severiores ac ratas ejusmodi constitutiones, nostris hisce temporibus, parochorum plurimis parvi naucive faciundas? Passim namque, ne qualibet fere dicam hebdomada, queis autem ab caussis scit unus Deus, nulla ab Ordinariis vel quaesita, vel obtenta facultate, e paroecia abiisse sua haud paucos et vidimus et indoluimus. Quandoquidem vero per oppidula et villas, extra suae praesertim diocesis fines, et in

(1) *Notific. T.* 1. *num.* 17. *n.* 11. *de praebendis.*

(2) *In cap.* Extirp. §. qui vero

medias prosilire urbes idemtidem conspiciantur, nonnisi bonorum indignationem, scandalumque pusillorum excitent, necesse est. Quid autem, si, relicta sponsa, virorum, foeminarum quoque, turbae commisti, equulo temere cursitantes, pluscula gradere itinera, voluptuosis comessationibus consociari, et ad profana theatri, erronumque ludicra latitare, seu verius palam se prodere, haud erubuerint? Obviae confestim excusationes, sibi nempe, nullo paroeciae urgente discrimine, et quoad opus fuerit, capellano, vel rectore proximiori, vicariam operam praestituro, quidpiam oblectaminis indulxisse, atque tacitam Ordinarii adnuentiam praesumi. Neutiquam enimvero. Cautum quippe, *non sufficere tacitam, sed oportere licentiam expressam, juxta formam Concilii* (1); eoque magis utpote caussa oblecationis petitam, denegandam praesumere est. Nil deinde refert, an, parocho absque legitima caussa discendente, subfectus quispiam consideat: quia non materialis dumtaxat, sed formalis quoque et in actu operosa, injuncta pastoribus residentia (2). Adjutrices quippe manus, semper ac praesertim pro circumstantiis, gerentium vicem assequendae: at diei pondus et aestus iis omnino portandum relinquere, quod obvium plurimis, absurdum quidem ac nefas. Quocirca in aede canonicali habitare adiguntur rectores, ut omnis parochianis aditus pateat, nullusque adsit non accedendi praetextus, quod forte refugerent, si propriae domi, licet ecclesiae paroeciali proximae, cum suis pastor degere mallet. Demum, quam proprio corpori praesentiam exhibet anima, eâdem fere ecclesiae suae praesto esse, oportet pastorem atque decet, ut sibi commisso gregi quacumque adesse hora,

(1) Lambertin. *loc. c.*

(2) Benedict. XIV. *Bull.* Grave.

eumque vigili ac paterna plane confovere solicitudine, et suomet valeat exemplo in ordine continere. Quidni et ista praestanda, et majora quoque volenti animo perferenda, quatenus et *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* (1)? Suis, inquam, nec ideo utcumque mercenario fidendis; *qui non est pastor, cujus non sunt oves propriae; videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit: et lupus rapit et dispergit oves* (2).

Verum et tantam augescere dignitatem animarum rector congaudeat, suomet praecellenti munere et offerens, et dispensator. Magnum sane sacrificium novae legis, admirabile mysterium, umbratilis complementum veteris holocausti sanctius ac praestantissimum; quo uno, ad omnimodam subjectionem ac reverentiam commostrandam, cultu latreutico, supraemae Dei majestati litamus: debitas bonorum omnium largitori eucharisticas pro conlatis beneficiis actiones rependimus, et nova ulterius nobis impertienda, pacificâ oblata hostia, impetramus: ad peccatorum remissionem, per *mediatorem Jesum, et Sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel* (3), divinam nobis clementiam reddimus propitiorem: atque omnes, sive quos adhuc saeculum in carne retineat, sive futurum exsutos corpore susceperit, a delictorum poenis eripiuntur ac expiantur. Interea vero, qui seipsum pro nobis in Cruce obtulit, *ipse est qui sanctificat et immutat* (4), et in persona mortalis, quem oculis aspicimus, sacerdotis, invisibilis ipse latitat sacerdos in aeternum Christus Dominus. Tanta mirabilium suorum memoria,

(1) *Joan.* 10. 11.
(2) *Loc. cit. v.* 12.
(3) *Ad Hebr.* 12. 24.
(4) Chrisost. *Homil.* 60. *ad pop. Antioch.*

quum oporteat apprime, ut *quanta maxima fieri potest interioris cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur* (1); id vel potissimum pastoribus incumbere patet, qui neque majorem neque venerabiliorem sacrorum ideam praeostendere gestient, quam si tantae misericordiae sacramentum ita perficiant, ut omnimodam fidelium aedificationem valeant promovere. Optandum profecto, ut quae ad rem liturgicam in sacerdotali inauguratione didicerint, rubricis interdum repetitis, recogitent: quum et plura et minuscula quaedam aut usu tritiora fiant, aut in agenda negligantur, aut facile obliterentur, et aliquid in senibus, de quo ipsi nuper accincti erubescerent, quandoque offendamus; ut singulis festis diebus congruâ semper eademque hora sancta celebrentur mysteria, quibus plerique plebis de more interesse, ideoque ab voce pastoris et monitis fructus queant uberes reportare: ut demum ante reliquas, quae inibi celebrentur, Missas, ceteris de populo quaedam de doctrinae christianae rudimentis et cathechesi ne subtrahantur, et omnis grex, qualibet Dominica die, opportuna pascua invenire, domumque redux aliquid semper ad bonam frugem sibi gaudeat reposuisse. Quamobrem insignia et praecipua de incruento Sacrificio saepius fidelibus declaranda, ut qui ab ejusdem pro eis applicatione, cunctis diebus festis jure facienda, comparticipes peculiariter fiunt, divinae, qua par est devotione ac pietate, actioni copulentur, et pretiosos inde effectus fructusque promanantes recipere mereantur. Probe scimus, eos quoque, qui pinguioribus fruantur reditibus, ad quotidianam pro populo applicationem minime teneri: at me quos-

(1) *Conc. Trid. sess. 22. Decr. de observ. et evit. in cel. Mis.*

dam novisse parochos haud hic reticendum, qui licet congruam, ut ajunt, parvulam nacti, dum tamen integrum iis fuerat, pro ovibus suis dietim applicasse festinarint, certioribus iisdem factis, ut intentione saltem ac devotionis desiderio sese hujusmodi bono consociarent.

Dispensationis autem munia aggredienti, o quam patens, et salutaribus referta donis ac datis pastori reseratur via! Illud vere mirificum jucundumque, vivificante Christi corpore fideles communire. Compertum quidem, pro petentium desiderio, coelesti pane, in tabernaculo altaris asservando, semper et paschale praesertim intra quindennium, ut satis confluentium turmis fiat, omnes de more recreandos; verumtamen et decorum et laudabile, quod Tridentina Synodus jam concupierat (1), infra ipsam mysteriorum actionem, dumque praesertim cantu atque administris peragantur, divinam adstantes communicare Synaxim. Nil profecto Dominicae cenae memoriam imaginemque melius representare conspicimus, quam sanctam ejusmodi expressamque conjunctionem, qua Ecclesiae filii, sicut novellae olivarum in circuitu mensae Domini, unum veluti cor et anima una, ab pastore suo, ipsum Christum JESUM referente, immaculato Agni corpore atque cruore perfusis labiis, de pretiosa ejusdem sacrificii participatione laetantur. In alterutrum quippe et pietas devota et unanimis caritas exsurgit, augescit, ac vere symbolum aedificatur. Annon, quum videris, sacro intrinsecus solatio tactus, quominus in mortalibus degere, crederis inter coelites fere versari? Atqui hoc facillime a rectoribus praestandum fore confidimus, si statis diebus mane summo in poenitentiae tribunali consisten-

(1) *Sess.* 22. *c.* 6.

tes, ita cofitentium numero satagant praesto esse, ut cuncti postmodum ad paroccialem Missam insimul de Sacrificio eodem communicent. Quod reapse nequeunt pastores illi qui de horis ad rem sacram nequaquam solliciti, statutam firmamque methodum haud sibi praesignarint, et de quibus fortasse usurpandum, *dormitaverunt pastores tui* (1). Quocirca eorum nonnullos admodum commendamus, qui, ut viri seorsim a mulieribus ad sancta sanctorum accedant, illos ad cornu Evangelii, istas ad cornu Epistolae, quoties utrisque Eucaristia sumenda, de more consistere opportune commonuerint *(D)*.

Lis adhuc sub judice est, quid sentiendum de frequentiori publica SS. Sacramenti expositione. Rariorem, quam quae hodie fere ubique peragitur, insignis doctrinae ac pietatis auctores cuperent. *Timendum est*, inquiunt, *ne majestas mysterii fidei tam crebro, vel etiam assidua ejus vulgatione deteratur, nec adeo facile percellat contuentium mentes, quam si infrequentius, et quod fere consequens est, majore cum apparatu et accuratione proponeretur* (2). Rursus frequentiorem, tum quia ab vanis lubricisque sancta exponitio fideles retrahat, et ad sacra facilius evocet repetenda, tum quia ad actus theologicarum virtutum eliciendos, ad culparum veniam, et vim ad bona opera petendam obtinendamque, alliciantur fideles ac moveantur, alii haud minoris quidem notae adstruunt scriptores (3). Quidquid tamen de hujusmodi quaestione sit, in qua, media incedere via, tutissimum existimamus, cuique sane pastori exploratum satis, publicam sanctae Eucaristiae expositionem nullibi faciendam

(1) *Nahum* 3. 18.

(2) Raynaud. *Heteroclit. Spirit.*

(3) Christ. Lupus *Tom.* 2. *p.* 1. *c.* 12.

nisi de Ordinarii licentia, et ob publicam caussam, pro qua Ecclesiae tantum necessitates percelebres theologi plures intelligunt. Quoad vero privatam, alicujus piae personae precibus peragendam, ea quamvis pastoris arbitrio pro instanti circumstantia relinquatur, animadvertendum nihilosecius, ut sacri tabernaculi, in quo asservetur, reserato tantum ostiolo, SS. Sacramentum exhibeatur, pixide proinde, conopeo tecta, numquam e suo loco dimota, quum nullum in universa Ecclesiae disciplina inveniatur vestigium, privata caussa e tabernaculo pixidem extrahi posse, eoque minus sub baldachino locari. Illud insuper in quavis publica expositione curandum, ubi saltem usus nondum invaluit, ne conciones in pergamo vel catecheses fiant velo interim sacrum ostenserium cooperiente; quum ob aliquam publicam urgentemque necessitatem hortatio quaedam ad instar precum, ad inferiores altaris gradus per pastorem facienda, ut populi devotio ac pietas excitetur magis, vix fuerit admittenda: ut denique tempore expositionis neque capsulae, neque disci prope altare pro eleemosynis locentur, neve iis capessendis, bursa jugiter reboante, quis, ecclesiam circumeat, quod plane praeter laudabilem Ecclesiae consuetudinem, rubricis quoque contrarium foret (1).

Mos diebus hisce nostris, atque nimium invaluit, ut privatim ac veluti latenter Viaticum deferatur infirmis: futili sane caussa, quia nempe solemnis ac publicus apparatus aegroto ejusque familiae perturbationis haud parum afferat, perinde ac si pretioso Christi corpore ad vitam aeternam praemuniri, ipsimet infirmo suisque remedium fore salutare verumque solamen ambigeremus. Es-

(1) Lambertin. *Notif.* T. 1. n. 30.

to, verae casu necessitatis et urgente periculo, quomodocumque fieri possit, accelerari ac ministrari: ast semper pastor damnabilis, qui pro falsa mundi honestate ita se habeat, quandoquidem assueto splendore ac devotione Viaticum deferenti circumstantiae intersint opportuniores; quo et aegrotantem elevet reverentia, pietas inflammet, et consociantes fideles elargitis indulgentiis, et mutuo caritatis opere nequeant fraudari. Magnum quippe ejusmodi ex hac vita exeuntibus praesidium, praeter ea, quae Ritualia praecipiant, raptim recitata, de cetero cum silentio, turpi quadam praecipitatione ministratum passim videre est, ut et ipsi decumbentes, simulque circumstantes anxia quandoque displicentia, ne dicam quoque pudore, afficiantur. Nulla certe opportunior occasio, qua paterna pastoris vox utilius audiri queat: non opus est multis: paucula prae circumstantiis parata, solidiora, flexanima, uberiores plerumque fructus, cum ex infirmo accipiente, tum ex ipsis interessentibus edidisse, plurimis piorum parochorum exemplis abunde instruimur.

Quo super negotio, saepe a pastoribus medici commonendi de obligatione, qua infirmos, in aliquo mortis discrimine luctantes, adhortari teneantur, ut Sacramenta apte commodeque valeant recipere. Plerique modo physicorum, si paesertim de personis, familiisque spectabilioribus agatur, onus ejusmodi, aegroti nempe de vitae periculo suadendi, libentissime credunt presbyteris, qui id facile sibi superimponunt, sed perperam: hoc namque odiosum aliquomodo sacrum efficit ministerium. Medicos perbelle clamitantes audire est, theologorum quoque nonnullos, eo quod per se ipsum facere videatur qui per alium facit, hujusmodi rem probasse; verum et Apostoli-

cis Constitutionibus (1), et jurejurando, quo sese obstrinxerint, dum laurea doctoratus et medendi facultate donarentur, directe prorsus adiguntur; adeo ut praeter generale praeceptum de quovis infirmo, *tertio non visitando* nisi monitioni de confessione peccatorum peragenda se paruisse doceat; si in aegroto aderit mortis periculum, naturali divinoque jure, et ideo sub gravi ad monitionem teneantur, eoque tempore opportune faciendam, quo verisimile inesse periculum ut morbus laethalis fiat, prudenter judicent, uti omnes unanimiter consentiunt theologi; atque haec plane, ut infirmus qua datum ope, debitoque fructu, salutaribus sacramentis valeat communiri.

Hinc et Unctio extrema illi ministranda, *de cujus morte timetur* (2), atque iis, qui *tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur* (3). Eapropter, ne in vulgarem eorum recidant errorem, qui ad sacrae unctionis remedium haud esse autumant properandum, nisi quum aegrotantis sit desperata salus, studeant rectores necessum est. Quamvis enim grave periculum, et mortis articulum, e legis praescripto (4), promiscue accipienda nonnulli dijudicarint, attament aliquo saltem ex eis, qui ab hoc sacramento promanant, salutari effectu infirmos privari, timendum profecto est: praeterquamquod ab erronea ejusmodi practica catholicae Ecclesiae calumniandae, perinde vel mortuis sacramenta impertiatur, novatoribus et schismaticis praebeatur occasio. Quandoqui-

(1) *Concil. Later. sub. Innocen. III., Ravenn. II. sub Clem. V., et Bullae Pii V., Gregor. XIII. ec.*

(2) *Conc. Florent., Eugen. IV. Decr. pro Arm.*

(3) *Conc. Trid. sess.* 14. *c.* 3.

(4) *Cap. Eos qui de sent. excom. in* 6.

dem sane praecellens hoc sacramentum primario et per se, ut ajunt, animam alleviet, leviora abstergendo peccata, et secundario et per accidens, dummodo voluntariae impoenitentiae obex abfuerit, graviora remittat, atque corpori quandoque sanitatem, ubi animae expedierit saluti, restituat; hinc est quod Unctionem sanctam, poenitentiae complementum jure dictam, excipientes infirmi, ejus fini respondeant oportet, per eam videlicet animi contritionem, quae una cum Sacramento omnes anteactae poenitentiae defectus valeat reparare. Praeterea, quum eadem unctio sacrosancta contra mortis timorem et conscentiae stimulos magnam in Dei misericordiam excitet fiduciam, atque ad morbi dolores aequius ferendos, et ad resistendum facilius tum maxime saevientis daemonis tentationihus aegros mire confirmet: quonam pacto singulis hisce praesidiis solari possent, nisi integris adhuc sensibus pretiosa sacrae Unctionis remedia reciperent? Jam vero per orationem fidei eo minus niterentur salutem corporis obtinere, quae conditionate restitui potest, *dummomodo non sit impedimentum ex parte recipientis* (1). Quibus plane assequendis, operae pretium erit, ut saepius ad cathechesim de hujusmodi Sacramento disserere pastor haud negligat, quo de ejus effectibus, ad eosque capessendos dispositionibus satis instructi fideles, illud libentius ac citius, in quovis infirmitatis discrimine, efflagitare ac suscipere non vereantur. Quoniam vero Sacramentum istud exeuntium, poenitentiae sit consummatio, visum aliquibus majora sane emolumenta aegrotantibus provenire inde posse, si statim post sacramentalem confessionem, et priusquam Viatico reficiantur, sacram adhibeant

(1) S. Thom. *in 4. dist. 23. q. 1. art. 2.*

unctionem: consuetudines ac decreta ad ejusmodi usum haud deesse autumantibus. Verumtamen, licet ex Haberti, et Launoii, aliorumque placitis suam eruerint sententiam, illamque disciplinam alicubi, et in Ecclesia fortasse universali aliquo temporis olim intervallo, viguisse et nos dabimus non inviti, actuali nihilominus consuetudini standum esse, non est ambigendum (1); quum ex Tridentino Concilio anathemate percellantur, non solum qui *ritum*, sed et qui *usum* quoque e consuetudine S. Romanae Ecclesiae in extrema Unctione ministranda posse mutari dixerint (2); nulli proinde, etiam sub specioso devotionis praetextu, ab communi Ecclesiae praxi vel minimum recedere integrum esse, atque hanc et utiliorem et tutiorem inculcandam infirmis, Benedictus XIV. commonstravit, consuluit (3).

Superest, ut unum saltem, nec enim cuncta et singula instituti nostri ratio sinit vel delibare, raptim innuamus. Obvium quippe apud paroecias, ab Apuanis montibus plerumque accitos, pinguis persaepe minervae, cappellanos invenire, quibus Baptismatis, Poenitentiae, aliorumve Sacramentorum administratio de more a pastoribus demandatur. Hos porro, ceterosque juniores presbyteros, qui ad eadem cooptantur ministeria, de necessaria, in Sacramentis conficiendiis, ministrorum intentione ab ipsis Parochis opportune monendos ducimns oportere. Quum enim Tridentina Synodus, intentionem faciendi quod facit Ecclesia, ad veritatem Sacramentorum apprime ministrantibns necessariam esse, definierit, haec omnino ad praxim docenda videtur sententia, qua non solum exterior requiritur intentio, ipsa nempe actio exter-

(1) S. Carol. *Istruct. ad Paroch.*
(2) *Sess.* 14. *Can.* 3.
(3) *De Syn. Dioec. lib.* 8. *c.* 8.

na, juxta ritum ab Ecclesia praescriptum, deliberate facta, sed etiam interior, sincera scilicet voluntas, per quam operans non tantum serio exercet externum actum, verum interno quoque proposito rem sacram vult agere, quam reapse perficit. In quo tamen fidem oportet sedulo ab intentione secernere; etenim eâ, quam peragit, actione gratiam infundi, et peccata dimitti, in actu, Sacramentorum dispensatorem minime necessum profiteri. Istam quidem laudamus non perinde opinioni oppositae, quae externam tantum intentionem in Sacramentis conferendis sufficientem adstruit, et quam ab Catharino magni quoque nominis theologi usque adhuc propugnarunt, censuram inurere aliquam videamur; huic namque gravi quaestioni extricandae donec expressa Apostolicae Sedis accesserit definitio, quam maluerit sententiam amplecti, cuicumque novimus integrum esse. De gemina interea intentione opinioni libentius ad praxim subscribimus, quia, quum agatur de Sacramentorum validitae, eamdem sicuti communiorem, ita et tutiorem, immo hanc unam tutam esse existimamus.

Denique animarum custos et benedicens; quod ipsimet inhaerens adeo propriumque, ut, exceptis benedictionibus in agenda sacrorum praescriptis, nisi de pastoris facultate, minoribus presbyteris id minus proprie tributum videatur. At legitimam hac in re jam quaerimus methodum atque conformitatem, quam vel Romano Rituali, vel consuetudine dudum Ordinariis probata, apprime sancitam rectores dignoverint. Nefas enim, quod in paroeciis usurpatum plurimis, e libellulis, nescio quibus, orationes, exorcismos, hisque similia, a veriori Ecclesiae spiritu saepius aberrantes, ac speciem insuper haud raro superstitionis praeseferentes, praeut libeat, aucupare, ut,

turpis quandoque gratia questus, et sata, et fruges, et vineae, cetera quaecumque benedicantur, itemque cyniphis, stellionibus, bruchis, aliisque insectis, rudium ignorantiae litando, maledicatur. Esto, plebis devotae fidei ac pietati, periclis damnisque praesertim ingruentibus, provida sane cura a pastoribus faciendum satis, bonaque volutate opitulandum; sed ne quid novi invehatur, in re quacumque praecavere necessum est, communiori et probatissimae Ecclesiae disciplinae semper et ubique inhaerere, et opportune edocere populos de sincero harumce precum valore, qui e petentium fidei oratione maxime pendeat. Ceterum antiquior cum insignioribus Dominicae Crucis Sanctorumque Reliquiis benedicendi populos consuetudo, quam nonnulli perperam reprobarunt, prorsus laudanda est (1): tametsi, ruri praesertim, vel abstinendum, vel faciendum parcius, integrum esse pastoribus arbitraremur, ne rudes plerumque agricolae hasce inter, et quas augustissimo Sacramento impertiantur benedictiones, nil aut parum discernere videantur.

Veruntamen nec finis dicendi, si paroecialium officiorum potiora tantum vel innuisse subiret animum. Sat nihilosecius e dictis patet, muniis, curis, laboribus animarum regimen undequaque adeo refertum, ut vel horam pastor sibimet integram nequeat polliceri; et tamquam in agro, ut communis jam in terrestri paradiso prothoplastes, ideo repositus, *ut operaretur et custodiret illum*, personam, talenta, ingenium, ipsa ejus otia, ovibus sibi creditis despondisse ac fere mancipasse est. Difficillimis insuper, et inter sese ferme pugnantibus augescere obligationibus, arduum ejusmodi culmen animad-

(1) Lambertin. *loc. c. num.* 48.

vertimus. In mediis enim saeculi vanitatibus obviisque discriminibus adactus pastor consistere, et nefaria ejus dictamina, probra, scandala refellere atque comprimere, cunctaque pensi et moderati habere jussus, mundum insimul arcere, ab eoque aufugere personae et ministerii sanctitate compellitur *(E)*; fluxis attamen mundanorum negotiis, quotiens pro commissi gregis utilitate opus fuerit, iterum mersari iterumque coactus. Atque haec omnia cum timore et tremore peragenda, non ad oculum serviendo, sed hominibus sicut Deo, et cunta ad finem utique supernaturalem referendo, pura mente et alacri voluntate coram Eo, qui motuum et intentionum cordis scrutator praesentissimus, justitias quoque, cum tempus acceperit, judicaturus *(F)*.

ILLUSTRATIONES.

(*A*) Si hic laborum ac recte factorum praemium ac mercedem inquirit, miserandus est ob hanc remunerationem: qui scilicet pro temporalibus jacturam faciat aeternorum; sin autem hic decertare instituerit, in caelo autem coronari, non honores solum exquirere non debet, sed delatos etiam recusare ac rejicere, ut ne praesens honor gloriam illic possidendam imminuat. . . . . Proinde si vis in futurum regnare, hic quietem ac honorem ne sectere: sed etiamsi nunc divexèris propter doctrinam, veritatis scilicet, scias te postea regnaturum. Exspecta igitur rite exaltantem, nec ullo modo deficias ob praesentia; nam athleta es et operarius Christi, qui te diem totam decertaturum, et totius diei aestum perlaturum pactus es. Cur nondum completa diei mensura, requiem consectaris? Vesperam, finem hujus vitae, praestolare, ut cum Paterfamilias venerit, tribuat tibi mercedem. Nunc autem postremum locum occupa, ut tunc primum consequaris. S. Basilius M. *Constit. Ascet. Cap.* 24.

(*B*) Si lapis lapidi attritus ignem emittit, quanto magis anima animae admixta? Vide: non dicit (*Apostolus ad Philipp.* 4. 5.) *ad aemulationem*, sed *ad provocationem caritatis.* Quid est ad provocationem caritatis? Ut magis diligant et diligantur; *et bonorum operum*, ut capiant aemulationem. *Chrysost. Hom.* 19.

(*C*) Qui semel a caritate captus est, a contentione liber est. Quamobrem ostendens Apostolus (1. *ad Corinth.*) quanta inde bona decepturi sint, fructus ejus descripsit, per illius encomia morbos illorum reprimens.

Etenim quae dicta sunt, singula pharmacum erant quod sufficeret ad illorum curanda vulnera. Ideoque dicebat *patiens est* adversus eos qui inter se contendunt: *benigna est*, adversus eos qui dissident, et occulto feruntur odio: *non aemulatur*, contra eos qui invident plus habentibus: *non agit perperam*, adversus eos qui disjuncti sunt: *non inflatur*, contra eos qui nolunt se attemperare: *non quaerit quae sua sunt*, adversus eos qui ceteros despiciunt: *non irritatur*, *non cogitat malum*, adversus eos qui contumeliam inferunt: *non gaudet super iniquitate congaudet autem veritati*, rursus adversus invidos: *omnia suffert*, adversus eos qui insidias parant: *omnia sperat*, adversus eos qui desperant: *omnia sustinet*, *numquam excidit*, contra eos qui facile dissident ec. *Chrysost. Hom.* 34. *in* 1. *ad Corinth.*

(*D*) Dispositiones externae pro recte Eucharistia suscipienda sunt: frontis, vultus, oculorum, labiorum, manuum, et totius corporis compositio: modestia item et decentia vestitus, praecipue in mulieribus, quae non luxuriosis vestibus, non intorto crine, non vultu fucato, non velis ad pectus transparentibus debent accedere, sed in habitu sancto, ut dicit Apostolus, verecundae atque compositae; quae vero potius quam modestiam Christi, mundi praeseferunt vanitatem et immodestiam, ex repetitis Ecclesiae Canonibus sunt repellendae. *Cigherius Patrum Tholog. universa Tom.* 9. *pag.* 272. *De frequenti autem Communione sequentes habentur Regulae.* Prima est Salesii Philotheam alloquentis, *Part.* 2. *cap.* 20. ut qui caret affectu peccati, atque sacrae Synaxeos desiderio inflammatur, ad eam *singulis Dominicis diebus* accedat. Altera est S. Bonaventurae *in* IV. *dist.* 12. *part.* 2. *qu.* 3. ut qui innocenter vivit, virtutemque sectatur, atque imi-

tari studet nascentis Ecclesiae pietatem ac devotionem (quod nullus debet de seipso praesumere) arbitrio prudentis confessarii etiam *quotidie* communicet. Tertia est pii doctique scriptoris Ludovici de Ponte *Tract. XIV. de Christiani hominis perfect. cap.* 6. §. 4., ut qui coelibem agit vitam, et sedulo in Dei obsequium incumbit, proficitque plurimum in exercitatione virtutum, sectetur consuetudinem, a Basilio laudatam, servatamque a monachis, ut refert *Palladius cap.* 48., Communionem sacram percipiendi *ter*, aut *quater* in eadem hebdomada. Regula IV. est, ut conjugati Deum timentes, sed officiorum suorum gravati onere, et soluti etiam, qui alteri famulantur, nisi nequeant frequentius, communicent *quintodecimo die*, aut *semel in mense*; prout monet eo loci Salesius. Postrema tandem, et certissima Regula est, ut quisque sequatur docti prudentisque Confessarii consilia; is vero memor sit Dominici praecepti, non absque causa dati, in *Exodo cap. XVI.* 16. de Manna, *Colligat unusquisque quantum sufficit ad vescendum*; et moniti, quod legitur Proverbiorum XXV. 16. *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud. Berti de Theolog. Discipl. lib.* 33. *cap.* 17. *num. VII.*

Quoad frequentem vel quotidianum sacrae Synaxis usum omitti nulla ratione potest consultissimum S. Congregationis Concilii Decretum editum die 12. *Februarii* 1679. *approbante Innocentio XI., incipien.* Cum ad aures, *et relatum a Ferraris in Biblioth.* V. Eucharistia *art.* 1. *N.°* 41. *Edit. Rom. an.* 1785.

Et si frequens quotidianusque Sacrosanctae Eucharistiae usus a Sanctis Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus (*verba sunt praefati Decreti*), numquam tamen aut saepius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi cer-

tos singulis mensibus, aut hebdomadibus dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum praescripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil praecipiens, quid cuperet, tantum indicavit, cum inquit: optaret quidem Sacrosanta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes sacramentali Eucharistiae perceptione communicarent, idque non immerito, multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variae ob negotia spiritus alienationes, multae e contra gratiae, et Dei bona parvulis concessa, quae cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cujusque dignitate, atque integritate, et consequenter de frequentiori aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea quoad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiae puritate, et frequentiae fructu, et ad pietatem processu laicis negotiatoribus, et conjugatis quod prospicient eorum saluti profuturum id illis praescribere debebunt. . . In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana Sacrae Comunionis sumptione unica praecepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet; illudque omnino provideat, ut nemo a Sacro Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur, et nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis, et praeparationis modo rarius, aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet ec.

(*E*) Proclivius est vitii participem fieri, quam virtutem impertire; quia facilius quoque est morbum con-

trahere, quam alios sanitate donare. *S. Gregor. Nazianz. in Apol.*

Occlude cera turpibus verbis tuas
Aures, sonisque cantuum mollissimis:
Pateant honestis semper at sermonibus;
Audire, fari, facere non procul distant.
Idem Nazianzenus in Tetrasticis.

(F) O Sacerdos, o Tractator, o Doctor, si te Divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina esto spiritalis Tabernaculi Beseleel (*Exod.* 36.); pretiosas Divini dogmatis gemmas exsculpe fideliter coapta, adorna sapienter: adjice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente industrius quod antea obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen quae didicisti doce: ut cum dicas nove, non dicas nova. *S. Vincent. Lirin. In Commonit. num.* 27.

EPISTOLA XIII.

De munere docendi.

PLURIMOS ad salutem scitu necessariis ruricolas laborare, quotidiana experientia deprehendimus. Caussam consideranti, et tardioris ac prorsus hebetis tenuitatem ingenii, et ineuntem opinandi vitaeque licentiam, quae urbium contagio in remotiorem quoque concito gressu irruit agrum, innuere quidam non dubitant. At licet utraque ejusmodi querela interdum forte admittenda, haud tamen evincendae videtur difficultati omnino facere satis. Etenim quantavis insit villicis ignavia rudis, nec ea socors adeo atque inepta, ut facillimis quae ad fidem quae ad mores requirantur elementis imbui nequaquam possit; *nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit, si modo culturae patientem commodet aurem*: quum plane segnitiem quamlibet iterum iterumque repetita aut omnino amovere, aut emollire saltem atque coaptare necessum sit: quumque praesertim voluntate bona et mira praeditos docilitate agricolas plerumque omnes christianis praeceptionibus audiendis itemque retinendis, e diuturna eorum consuetudine expertus didicerim. Equidem fatear, de pessimo saeculi scandalo villarum quoque recessus aliquando sordescere: sed ne impiorum incredulitate ac versutia decipiatur, vel ipsa prohibet tricis acquiescere ac sophismatibus nescia, rudium mentis exilitas: ideoque tumentem vitiorum plagam, alioqui haud difficile alligandam, fovendam oleo, sanandamque, ad eorum intelle-

ctus duritiem seu perversionem nil negotii facessere cuique patet. Altius ac propius origo mali quaerenda est.

Quid, si positi speculatores vel numquam, vel parum, vel male buccina insonuerint (1)? *Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam, quia tu scientiam repulisti* (2), exprobrat Dominus pastoribus, qui idcirco *canes muti, dormientes* (3), jure dicti. An revera circa nos adstent, qui parvulis panem petentibus coelestis alimoniae praesidia subtrahere non vereantur, pudet inquirere. Primordialia quidem fidei rudimenta pueros docere, commune est; ad sacram vero synaxim evectis, perinde ac si christianae institutionis apicem attigerint, nulla plerumque creduntur addiscenda superesse; unde saepissime de quaestiunculis, quas ore tenus memoriae mandarint, quamprimum obliviscuntur: adeo ut nedum adolescentium, sed adultorum quoque, ne dicam senescentium nonnullos ab poenitentiae tribunali quandoque oporteat arcere. E quibus profecto incommodis quae subinde exoriantur damna, melius, Antistes egregie, nosti, quam attexere verbis queam. Quamobrem operae pretium sane facturi, si quando in multa patientia, sicut Dei ministros, semetipsos exhibeant, et in re tanta nullo unquam pertaesi labore aut devicti, veram perspicuamque sacrorum relligionis ideam in mollibus adolescentium animis studeant efformare (*A*): neque de iis, quae ab usuariis libellis de more fuerint exposita, contenti satis, cunctis cuncta singillatim ac diligenter non desinant apertius enucleare: et siquem aut memoriae aut intellectus tenuitate deteriorem repererint, eumdem sollicito quo-

(1) *Ezechiel* 33. 6.

(2) *Osee* 4. 6.

(3) *Isai.* 56. 10.

dam conatu praeducant, ut quae didicerit sentiat, et potenter repetita retineat (*B*).

At ejusmodi fere praeludia opere meliori concrescant, ut quae primaeva aetate ephaebi perceperint, uberiori salutaris doctrinae thesauro, effecti jam Christi discipuli, augeant iterum, iterumque confirment. Hinc haud satis pastoribus cathecheses ubique praeceptae, commendandae non unquam satis. Hisce autem tradendis aeque praecavendum, ne parcius desint, neve rursus redundent. Nam et sui muneris rem egisse quidam existimant, si quae ad fidei substantiam morumque regulas pertinere arbitrentur, nuda atque arida methodo, *obtuse*, *deformiter*, *frigide* (1), breviori concludant sermone: quod plane ab primulis doctrinae christianae elementis nil parumve differre nemo unus non videat. Nonnullis autem, qui fervidiori perciti exercitatione e scholarum exedris nuper prodiere, majora praeseferendi arridet ambitio; ita ut integros fere tractatus e sacris eruant disciplinis, atque ordine et phrasi quadam scholastica, definitiones, divisiones, quaestionum subtilitates in medium proferant, perinde ad severiora studia perducendis praelectiones e cathedra promerent; a quibus necesse consequitur, ut qui rudes praesertim auscultent, neque ad quae primaeva aetate saepius didicerint repetenda, neque ad quae proponantur et nullo queant pacto percipere, animos minime accommodent, eademque iccirco aegre audiant, et indesinenter oscitantes fastidiant. Equidem pastor nimium brevis esse laborans obscurus fiet: profusus, multa complectens et doctior aut profundior, quam par sit,

(1) S. Augustin. *De Doctr. christ. lib.* 4. *n.* 7.

tamquam *in aere loquens* (1), ac prorsus inutilis. Medio tutissima tenenda via est: idque praecipue meminisse juverit, se, insipientibus quoque debitorem, ad salutem docendis tantum, non erudiendis ad scientiam populis subfectum esse. Itaque neve quaestionum involucra, neve opinionum ambages, ceteraque id genus omnino attingenda (2): sed pura fidei dogmata morumque disciplinas aperte ac dilucide opus erit commostrare ac explanare; neque obscurioribus scholae tecnis, quae prolixiori atque inani egerent plerumque explicatione, sed ea fandi perspicuitate, quam propriorem aptioremque inserendae veritati in eorum animos, queis obloquamur, experientia comperiemus; *illa eloquentia generis temperati apud eloquentem ecclesiasticum nec inornata relinquitur, nec indecenter ornatur* (3).

Quoniam vero divinam relligionis originem, tutissima fundamenta, et caracteres sibi peculiares, tum pietati confovendae, tum pusillorum animis ob improborum fraudes ac dicteria confirmandis, quandoque praemonstrare profecto deceat; quumque praeterea fides nostra, per sacras historiarum enarrationes a progenie in progenies transfusa, et adhucusque sancte servata, promptior ab exemplis ac efficacior facilius alliciat atque delectet: ita et historica interdum cathechesi rectores festinent praeludere, ut vel ab mundi primordiis per promissiones, ac typos, et oracula prophetarum, quam profitemur fidem, veluti per gradus quosdam, ad Christum ducem, ab eoque ad nos usque unam eamdemque derivasse, plebs divota se certo scire congaudeat; quod praestare annisus est Fleu-

(1) 1. *Corint.* 14. 9.

(2) Conc. Trid. *Ses.* 24. *de ref. c.* 7.

(3) S. Augustin. *loc. c. n.* 57.

ryus (1) : itemque ad christianam adstruendam veritatem selectas aliquando demonstrationes accurata methodo et contracta oratione studeant praesignare, in quo Card. Gerdillius (2) quaedam specimina praetulit.

Jamque plurimorum heic pastorum percellimur querimoniis, qui suomet nempe adjumento ac levamini, communique fidelium lectioni accomodatas, perspicuas absolutasque cathecheseos Institutiones, quae praeter fidei morumque regulas, aliis quoque auctibus, quos innuimus, in bonam frugem succrescerent, praelo cusas optarent. Verum quid ultro quaeritent, prorsus nescirem. Facile his quidem faciendum satis, si plures hac super re indigitarentur lucubrationes, quas inter nitidum piumque opus (3), e Gallicis quibusdam expurgatis Institutionibus a cl. Patuzzio, ut fertur, consarcinatum auctumque (licet fortasse nimium theologicis redundans disquisitionibus) prae ceteris commemorandum, nisi pastores cuncti enixis efflagitandi votis, ut ab assiduo seduloque *Romani Cathechismi* studio atque usu sese minime patiantur averti, illique haud haesitanter semper et ubique innitantur. Etenim Tridentinae Synodi et Romanorum Pontificum jussu exaratus, jurisque publici factus, Scripturae sanctae, Patrum, et sollemniorum Ecclesiae declarationum vestigiis proxime inhaerens, solide, precise, eleganter homini christiano necessaria complectens, cunctis ideoque qui usque adhuc prodierint praecellens, quem insuper a Filiucio habuimus vernaculo sermone optime redditum. Ad exoptatam namque ac pulcherrimam disciplinae conformitatem attinere

(1) *Cathechism. Istoric.* Caute tamen legendus iis, quibus liceat.

(2) *Esposiz. dei caratt. della vera relig.*

(3) *Esposiz. sulla Dottr. Crist. Venet.* 1761. *et Bassan.* 1781.

arbitramur, ut non modo identitate doctrinae, sed etiam uno ferme eodemque ore fideles cuncti a pastoribus edoceantur; potiorique ratione ne prima quidem doctrinae christianae rudimenta, aut diversa eloquutionis phrasi, scripta vel tradita, videntur probanda. Si enim, etiam quoad sola verba, quae a pueris primitus ediscenda, quoquo modo inmutentur, huic profecto discrimini, saltem in vulgus, obviam itum, ut eadem sacra elementa neve una, neve aliā apprehendant forma, ideoque nesciant omnino: idque ruri praesertim, ubi ex altera in paroeciam alteram, dioecesim quoque, transmigrantes passim agricolas videre est. Merito hinc a Summis Pontificibus saepius commendatus est fere ubique receptus usus christianae catechesis brevioris et longioris Venerabilis Card. Bellarmini.

Quandoquidem autem ad profliganda flagitiorum monstra, passiones coercendas, movendamque voluntatem, praepotens ac flexanima sive e suggestu, sive ab altari, singulis festis diebus, exhibenda eloquentia est, non mediocri nisu atque cura in id potissimum a presbyteris incumbendum. Plurimos, invaluit forte, fere penitus mparatos concionari: atque evangelica lectione vix praesignata, et argumento minime assumpto, ad quae mens vaga pro libitu progrediatur vel fortuito verba contexere. Cujusmodi sane abusus, an damnum pejus quam culpa, haud facile, Vir clarissime, judices. Quantâvis enim doctrinae, eruditionis, ac fandi praeditus copia quis censeatur, sibi tamen incomptus, inordinatus, aliis gravis, obscurus, ac tandem inutilis omnino. Ecquis Chrysosthomo doctior, quaeso, aut eloquentior unquam? At, *si quibus*, inquit, *dicendi facultas magna inest, tanta opus est exercitatione: qui facultatis illius nihil comparaverit*,

sed in mediis dicendi certaminibus , in ipso concionum agendarum stadio , meditari cogitur , is quantum , quaeso , subiturus est difficultatis , quantum tumultus et turbulentiae (1) ? Ne igitur indigne ac fere incassum verbum Dei praebeatur , ex millibus , nec absque delectu et judicio , qui circumferuntur libris , dominicales sermones apte ac mature consarcinentur , et subsecivis horis pacato animo tradantur memoriae : etenim *multo tempore disce quae postmodum doceas* (2) ; et *cui lecta potenter erit res , nec facundia deseret hunc , nec lucidus ordo.* Neque isthaec proinde dixerim , ut quae praeambula meditatione paraverit , de verbo ad verbum , quaedam perinde lectio memoriae mandata recitaretur , adamussim connitantur depromere ; ut enim haereant quae dicantur , et quivis obscuritatis defectus plane amoveatur , *debet maxime subvenire cura dicentis. Solet autem motu suo significare , utrum intellexerit , cognoscendi avida multitudo : quod donec significet , versandum est quod agitur multimoda varietate dicendi ; quod in potestate non habent qui praeparata et ad verbum memoriter retenta pronuntiant* (3). Tandem ne accessoria illuminentur , caussa princeps minime negligenda , evangelica videlicet vel historia , vel doctrina , quas vix indigitare satis autumant plures ; nam ideo injuncta Evangeliorum explicatio , ut cuncta quae Christus Dominus fecerit , et docuerit , aperte distincteque fideles queant ad salutem percipere et meditari. Singulas itaque lectiones sacras , aut accurata litterali exponitione referre , quod cl. Antistes Martinius exequitur (4) , aut ,

(1) *De Sacerdot. lib.* 5.

(2) S. Hieronym. *Epist. ad Rustic.*

(3) S. Augustin. *de doct. christ. lib.* 4. *n.* 25.

(4) *Traduz. del nuovo Testam.*

si libeat, per ephrases concinne oportet elucidare, in quo Croessetius prae ceteris commendatur (1). Hinc peculiari ex dictis argumento, vel homiliis prae opportunitate quandoque adlaborandum, quum ipsa gesta dictaque Servatoris nostri et insectandis vitiis, et praeostendendis virtutibus ineshaustam prope concionantibus materiem atque copiam undequaque sint praebitura.

Sicut autem Ecclesiae suae Dominus JESUS et credenda, et speranda, et proposuit amanda, ita et divini praeceptoris documentis omnino pastor inhaerens, de theologicis virtutibus, ut ad practicos, qui ad eas praeducant feliciter, ab iisque pendeant, actus eliciendos optime fideles valeant exurgere, saepius prae aliis nitatur disserere. Neu vero ab ovium ducibus, quadam assentationis specie, plebs sibi concredita sequenda est, neu vecordi dimittenda silentio, sed docenda prorsus atque illuminanda. Prudenter idcirco, opportune, cautissime ab exterioribus quibusdam, quippe quae superstitionem quandoque redoleant, avertenda; et de Indulgentiarum valore, ad easque adsequendas dispositionibus, de fidelium animabus, non solis Missarum suffraggiis, sed quovis alio pietatis opere, sublevandis, de ejusdem incruenti Sacrificii effectibus et adplicatione, de communione sanctorum, de hisque similibus, vel interdum ignoratis, quod obvium quidem apud ruricolas, vel forte haud accurate satis sibi dudum alicubi traditis ab vera Ecclesiae doctrina, apprime instruenda.

In oratorum insuper voluminibus deflorandis, caveant parochi necessum ducimus, ne sine trutina severiori, maturoque judicio mira quaedam et historiolas sibi

(1) *Eserciz. per le Dom. e Feste dell' anno.*

nanciscantur, in quo plures aliquando labuntur. Sincera quidem martyrum sanctorumque acta saepius repetere satagant, unde sibi dupliciter exoriri noverint emolumentum: quo scilicet quandoque fidelibus tantae virtutis opportune commemorentur exempla: quo sibimetipsis mire profuturos confidant; melius enim sentiri quam dici potest, quae ab gloriosis heroum gestis atque triumphis intima ac fervens excitetur pietas, quantum exardescat magis in Christum JESUM magisque fides et amor. Ceterum, quid incerta et minuscula foris quaeritent, quum ex divina utraque pagina tutissimum, praetiosum, uberrimum de re quaque veluti promptuarium exhibeatur? Hoc iis, quos familiae suae praefecerit Dominus, fundamentum et veritas. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* (1). Nova prius, deinde vetera Christus commemoravit (2), quae duae veluti claves signatum claudunt, quo primum fidelis populus sit docendus quae Evangelica atque Apostolica teneat doctrina, ut eadem postmodum legis et Prophetarum oraculis, vel historice, vel typice, vel accommodate, munienda, exornanda, amplificanda, commostrentur (3).

Quoad vero sensuum accommodationes nec abs re quaedam opportune suppetunt adnotanda. Licet namque accommodationem et saepissime et pulcherrime Scripturae verba concinnans, ex iisque laudes ac preces et officia quaeque componens, sacrosancta usurparit Ecclesia, et Patrum sancti ac doctissimi, unusque prae ceteris Ber-

(1) 2. *Timot*. 3. 16. 17.
(2) *Matth*. 13. 52.
(3) S. Augustin. *de Civit. Dei lib*. 40. *c*. 4.

nardus, allusionis ejusmodi genus, apposite, nec absque venustate passim adhibeant, nostraque etiam aetate oratores praestantissimi in divinis eloquiis accommodandis multa cum laude versentur; attamen a pastoribus curandum est, ut accommodato sensu parcius utantur: ut Scripturae sensus aperte literalis nullatenus ad mystica detorqueatur: ut nihil ex divinis verbis presumant inmutare: ut denique quam bene et proprie cohaereant accommodationes pensi habentes, non, uti libeat, in omnem partem ac praesertim ad inania et frivola, inflectant testimonia Dei, ut ita caesim petitis undecumque sententiis et verbis plebeculam sibi captent; sed quae serio composita accommodantur, rebus divinis splendorem quemdam ornatumque concilient, et verum pietati praebeant incrementum. Duabus autem id fieri posse rationibus, quum nempe *verba Scripturae recitantur, et proposito argumento accomodantur*, et quando *non tam verbis, quam sententiis similia, aut contraria, vel quovis modo inter sese attinentia proferuntur* (1), pii ac eruditissimi censuere. Ceterum, quot egregiis dictis, quot praeclaris facinoribus, quot exemplis, similitudinibus, parabolis, quae adminicula sunt et praesidia oratorum, abundant codices illi divini! Sed non solum veram doctrinam, et omnem dicendi materiam suppeditant, verum etiam ornamenta, quibus pondus, vis, et decor adduntur orationi. Ubi enim major in dicendo perspicuitas juncta cum brevitate, quam in Evangelio? Quis orator in carpendis hominum vitiis vehementior, quam Prophetae? Quis ad movendum et flectendum magis aptus, quam Paulus? Unde decor ille poeticus, qui effloresce-

(1) Acosta *de Chr. in Script. revel. lib.* 3. *c.* 13.

re debet in oratione, facilius conciliatur, quam ex psalmis Davidicis? Ubi denique major copia sententiarum, quam in libris Salomonis (1), aliisque hagiographis, e quibus eruta passim apud Patres specimina tanto cum plausu et animarum lucro omnium admiratione celebrantur?

Profecto rectorum nonnullis assentiri nequit, qui vehementiori an zeli, an ambitionis perciti aestu divinare non ausim, ad ferias Adventus et Quadragesimae adscititios in eorum paroeciis oratores sacros minime sinant adlaborare. Esto namque, pastorum voci praecipua quadam ratione Dei gratiam propius conjungi: ecquis tamen ceterorum verba sacerdotum, praeter aes sonans nil aliud esse, absolute ausit asserere? Neque forte dixerim, habitualiter audita unius ejusdemque documenta et monita eo usque desinere, ut ad quaeque ediscenda fere indifferens paulatim populus efficiatur: neque adjicere vacat, aut scientiae ingeniique, aut morum irreprehensibilium defectum grave quandoque offendiculum ponere, et veritati fidelium cordibus opportune inserendae haud levem sane obicem plerumque inferre; qua plane de caussa, ad plebis aedificationem alienos idemtidem operarios accersere, prudens utique proficuumque censeri queat. Hoc tamen innuere minime ambigimus, laudabilem ejusmodi exstraordinariae praedicationis consuetudinem a Patribus directe provenisse, qui hac sane ratione ad Natalis et Resurrectionis Domini sollemnitates diligentius atque utilius populos disposuisse sategerint; et plurima etiam a veteribus Ecclesiae monimentis illustriorum exempla pastorum praefulxisse, qui suum propria voce pascere gregem non satis contenti, aliorum quoque praeconum

(1) Lamy *appar. Bibl. in praef.*

ministerio, per aliquot anni spatia, oves suas enutriri ac foveri curarint, quod et in praesentiarum plerisque de more est. Quum alterum insuper emolumentum ultro accedere conspiciamus, siquidem apud exteros verbi dispensatores sacrae plurimis exhomologesis peragendae, quo magis integra, eo quidem efficacior occasio, ruri maxime, praebeatur.

Superest, ut, de quo multa dudum quaestio instituta, quidquam de stylo inquiramus. Principes orationis partes in eo sitas, ut audientes doceat, itemque delectet, ac moveat: ideoque nonnisi sublimiori ac elegantiori eloquentiae vi atque copia id assequi posse, contendunt aliqui, et humili et familiari dictione praeter fas vilescere verbum Dei, ac plane arbitrantur dehonestàri. Quum vero ignaris ac rudibus plerisque auditorium constet, simplici et populari locutione ubique fandum, existimant alii, quod plurimis haud quidem spernendis momentis atque auctoritatibus nituntur adstruere (1). At facile, siquid sapio, lis dirimenda: utrosque immo componendos crediderim, si aequa discretione, et distinguendo circumstantias, suo cuncta loco reponantur *(C)*. Etenim, quum de panegyri, de funebri elogio, ceterisque ejusmodi lucubrationibus res siet, quae exornativo, ut ajunt, genere gaudent, eas praeculto ac exquisito dicendi stylo concinnandas, nullus oppido inficias iverit. Quoad vero evangelicae praedicationis munus, aliter de iis, qui in urbibus vel ad quadragesimale, vel annuale verbi ministerium assumantur, secus autem de parochis, aliisve, qui ruri praesertim singulis festis diebus populos docere teneantur, dijudicandum. Sicuti namque oratoriae artis et eloquen-

(1) Muratori *dell' Eloqu. popol.*

tiae sacrae conatus in illis non improbaverim, ita etiam in his et simplicitatem loquendi et perspicuitatem semper laudavero. Sacram, inquam, eloquentiam, *non tonantia et poetica verba*, *non eloquentiam saeculari sermone fucatam* (1); *in quo* enim *plura sunt condimenta*, *quam quae parata sunt ad alendum*, *neque scitum esse sermonis usum*, *qui oblectandis potius*, *quam juvandis auditoribus servit* (2) (*D*). Simplicem item loquutionem ac perspicuam, non rusticam et incompositam, non penitus christiana destitutam eloquentia, sed naturali quodam ornatam decore. Quia *si non exhibuerit doctrinam sale ac gratia conditam*, *fiet*, *ut a multis despicabilis habeatur*, *nullo prorsus lucro commodove ab animi magnitudine accepto* (3). Hoc propterea curandum, ut in iis, quae ad fidei dogmata, et propria cujuscumque status officia edocenda pertineant, eadem *tranquille*, *leniter*, *partite*, *definite*, *distincte* (4) familiari ferme sermone, ac saepius per antiphoram seu subjectionem, uti visum Muratorio (5), et quod saepissime apud magnum Chrysosthomum, tradantur; ad ea vero, quae corrigendis moribus, flagitiis exprobrandis, Deique reprehesentandis judiciis atque minis opportune parentur, vehementiori ac energico orationis nisu adeo praeco sacer peroret, ut, si libeat ac deceat, tonare quoque, fulgurare, totamque prorsus audientiam videatur miscere (*E*). *Habeat tamen illa in dicendo admiratio ac summa laus umbram aliquam et recessum*, *quo magis id*, *quod erit illuminatum*, *ex-*

(1) S. Augustin. *Serm.* 1. *de acc. ad Grat.*

(2) Clem. Alexandr. *in* 1. *Stromat.*

(3) Chrysost. *de sacerd. lib.* 5.

(4) Cicer. *de Oratore.*

(5) *Loc. c.*

tare atque eminere videatur (1); quum utcumque rethoricis regulis et exemplis cuilibet sacra dicenti semper oporteat inhaerere, dummodo artis adminicula, nimio ardore quaesita, nimio pariter apparatu nullatenus ostendantur (*F*). Quovis denique disserendi genere uti valeant, hoc utique praestare, quod sibi a Tridentina Synodo injunctum, satagant pastores, scilicet, ut *plebes sibi commissas pro earum capacitate pascant salutaribus verbis* (2), atque simul, *ut veritas pateat, ut veritas placeat, ut veritas moveat* (3), quemadmodum Augustinus egregie praemonuit in admirabili libro quarto *de Doctrina Christiana*, cujus uberrima documenta cunctis Ecclesiae praeconibus haud unquam praeponenda satis ac commendanda.

Ceterum, quaecumque artis christianus orator praesidia quaeritet, ne quaeso, fidelium saluti satis opitulari in semetipso confidat: eorum namque mulcendis auribus, *velut cymbalum tinniens* (4), incassum adlaborabit, nisi et cordibus eloquatur Deus, *in cujus manu sunt et nos et sermones nostri*; *haec se posse, pietate magis orationum, quam oratorum facultate, non dubitet, ut orando pro se, ac pro illis, quos est allocuturus, sit orator, antequam dictor* (5). Utinam vero ab praeconum ore atque corde vanitatis ac laudum titillatio absit omnino, et penitus eradicetur, *ne magis curent se ostendere, quam auditoribus prodesse* (6)! *Miser et infelix proditor* (7), qui *non spirituales fructus, sed adulterinos foetus quae-*

(1) Cicero *loc. c. n.* 99.
(2) *Sess.* 5. *de Reform. c.* 2.
(3) *Lib.* 4. *n.* 61.
(4) 1. *Corint.* 13. 1.
(5) S. August. *loc. c. n.* 15.
(6) S. Greg. M. *Moral. lib.* 20. *c.* 2.
(7) Chrysost. *Hom.* 33. *ad prop.*

rit laudis humanae (1)! *Laudatur is ab hominibus, laudes ne rejiciat: laudes ab auditoribus illi negantur, eas ne ambiat, neu negatis indoleat. Si animum iniquarum laudum appetentia prius occupaverit, ei certe nihil sudores laboresque illi improbi, nihil dicendi vis ac facultas profuerit* (2). Quinimmo *praedicator, qui plausum quaerit, damnabitur: tum quia praedicationis officio ad laudem non Dei, sed suam, abusus est, tum quia salutem tot animarum sibi creditam impedivit et avertit* (3). Meminerint ergo pastores, cunctique verbi administri, se pro Christo legatione fungi, tamquam Deo exhortante per eos (4), ideoque ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loqui (5); neque coelestia sibi datum oracula pandere, nisi electis suis ad eum perducendis, qui via, veritas, et vita est. Caritas Christi urgeat eos: et unusquisque populum, quem ipse in haereditatem proprio acquisivit sanguine, ad sanctorum scientiam eruditurus, aureum Pauli versiculum, prae oculis inscriptum, jugiter, obsecro, meditetur: *sermo meus et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* (6).

(1) S. Greg. M. *loc. c. lib.* 2. *c.* 17.
(2) Chrysost. *de sacerd. lib.* 5.
(3) Cornel. a lapid. *in Luc.* 6. 26.
(4) 2. *Corint.* 5. 20.
(5) *Loc. c.* 2. 17.
(6) 1. *Corint.* 2. 4.

ILLUSTRATIONES.

(*A*) Piget ad ea saepissime redire, quae nobis notissima sunt, et provectui nostro jam non necessaria: nec in eis tam usitatis, et tamquam infantilibus cum aliqua voluptate jam grandiusculus animus graditur. — Jam vero si usitata et parvulis congruentia saepe repetere fastidimus, congruamus eis per fraternum, paternum, maternumque amorem; et copulatis cordi eorum etiam nobis nova videbuntur. — Accedit ad comparandam laetitiam, quod cogitamus et consideramus, de qua erroris morte in vitam fidei transeat homo. S. Augustin. *de cathechiz. rud. cap.* 10. 11.

(*B*) Cum eadem omnibus debeatur caritas, non eadem est omnibus adhibenda medicina; ipsa equidem caritas alios parturit, cum aliis infirmatur, alios curat aedificare, alios contremiscit offendere, ad alios se inclinat, ad alios se erigit, aliis blanda, aliis severa, nulli inimica, omnibus mater. *Loc. c. cap.* 15.

(*C*) Is erit eloquens, qui poterit parva submisse, modica temperate, magna granditer dicere. Cicer. *de Orator.*

Is erit igitur eloquens, qui ut doceat, poterit parva submisse: ut delectet, modica temperate: ut flectat, magna granditer dicere. S. Augustin. de *Doctr. Chr. lib.* 4. *num.* 34.

(*D*) In suam dicunt contumeliam doctores, si dum sint ab eis dicta sapienter, nimium tamen eloquenter. Horret enim sapientia spumeum verborum ambitum, ac fucum mundialis eloquentiae inflatis sermonibus perornatum. S. Isidor. Hispal. *Sententiar. Lib.* 2. *c.* 29.

(*E*) Quantum congrue fieri potest, omnibus generibus dictio varianda est. Nam quando prolixa est in uno genere, minus detinet auditorem. Cum vero fit in aliud ab alio transitus, etiamsi longius eat, decentius procedit oratio: quamvis habeant et singula genera varietates suas in sermone eloquentium, quibus non sinuntur in eorum, qui audiunt, frigescere vel tepescere sensibus. Verumtamen facilius submissum solum, quam solum grande diutius tolerari potest. Commotio quippe animi, quanto magis excitanda est, ut nobis assentiatur auditor, tanto minus in ea diu teneri potest, cum fuerit, quantum satis est, excitata. Et ideo cavendum est, ne dum volumus altius erigere quod erectum est, etiam inde decidat, quo fuerat excitatione perductum. Interpositis vero quae sunt dicenda submissius, bene reditur ad ea, quae opus est granditer dici, ut dictionis impetus sicut maris aestus alternet. Ex quo fit, ut grande dicendi genus, si diutius est dicendum, non debeat esse solum, sed aliorum generum interpositione varietur: ei tamen generi dictio tota tribuitur, cujus copia praevaluerit. S. Augustin. *de Doctr. Christ. lib.* 4. *n.* 51.

(*F*) In grandi genere semper aut pene temperata decet esse principia. Et in potestate est eloquentis, ut dicantur nonnulla submisse, etiam quae possent granditer dici, ut ea, quae dicuntur granditer, ex illorum fiant comparatione grandiora, et eorum tamquam umbris luminosiora reddantur. In quocumque autem genere aliqua quaestionum vincula solvenda sunt, acumine opus est, quod sibi submissum genus proprie vindicat. Ac per hoc eo genere utendum est in aliis duobus generibus, quando eis ista incidunt: sicut laudandum aliquid vel vituperandum, ubi nec damnatio cujusquam nec liberatio,

nec ad actionem quamlibet assensio requiritur, in quocumque alio genere occurrerit, genus adhibendum et interponendum est temperatum. In grandi ergo genere inveniunt locos suos duo cetera, et in submisso similiter. Temperatum autem genus, non quidem semper, sed tamen aliquando, submisso indiget, si, ut dixi, quaestio, cujus nodus est solvendus, incurrat, vel quando nonnulla, quae ornari possent, ideo non ornantur, sed submisso sermone dicuntur, ut quibusdam, quasi toris ornamentorum, praebeant eminentiorem locum. Grande autem genus temperata dictio non requirit: ad delectandos quippe animos, non ad movendos, ipsa suscipitur. Non sane si dicenti crebrius et vehementius acclametur, ideo granditer putandus est dicere: hoc enim et acumina submissi generis, et ornamenta faciunt temperati. Grande autem genus plerumque pondere suo voces premit, sed lacrymas exprimit. *Loc. c. n.* 52. 53.

EPISTOLA XIV.

De spiritu paroeciali.

Quos Deus ad aliquid elegit, ita praeparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei (1). Quae sane de coelestibus misericordiarum thesauris quotidiana Patrisfamilias beneficia, prae multiplicibus opportunitatum conditionibus, adeo necessaria, ut muniis cujusvis status rite et recte obeundis si hujusmodi deerint auxilia, vires animique prorsus deficerent. Ex ipsis autem donis ac datis, quae gregi suo praeficiendis aeternus Pastor dignatus est elargiri, spiritum paroecialem veluti principem inter cetera locum tenere, ambigi nequit. Is plane ardui hujusce ministerii primulus motor ductorque tutissimus, atque jnter prospera et adversa passim gradienti consiliarius fidusque comes, ac potis pro re bene gesta sponsor ad praemia. Qui propterea spiritus ejusmodi caracteres praecipui, quae eidem custodiendo satis augendoque, quaeve ipsum attenuare quodammodo, ac fere adversari videantur, operae pretium paucis innuere.

Ab Spiritu Christi JESU, ceu praedivitem participationem, in Ecclesiam suam derivasse, ideoque re, quoad originem, eumdem esse ac ipsius Sacerdotis summi *secundum ordinem Melchisedech* (*A*), ejusque in pastoralibus exequendis muneribus imitamen atque imaginem, paroecialem spiritum apposite dixeris. Hoc unum plane

(1) S. Thom. 3. *Part. quaest.* 27. *art.* 4.

queis animarum cura concreditur praecellens exemplar fulgidissimum: ab eoque vel uno, spiritui, de quo res nobis, verius dignoscendo, servandoque sollicite, signa, virtutes, officia auspicato exquirenda atque praestanda.

Quoniam vero ad nos idcirco Christum JESUM comperimus advenisse, ut quam effraenatae hominum cupiditates dudum rapuerant, gloriam, Patri vindicaret, et peccati regno destructo *mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* (1), quo Deus, *in spiritu et veritate* (2) adorandus in terris, in perpetuas aeternitates glorificetur; is ideo Sacerdotii Christi caracterum praecipuus regendo gregi subfectis primitus praesignatur. Hinc *homini Dei* (3), uti quemque in Timotheo suo vocitat Paulus animarum rectorem, ejusmodi spiritu vere percito atque acto, nihil profecto est, quod ad gloriam Domini excitandam propagandamque alacri renuat suscipere animo, et quod opere haud satagat vel difficiliori perficere. Sedentibus in tenebris et umbra mortis illuminandis, fidelibus dirigendis in viam pacis, adeo *incitatur spiritus ejus in ipso* (4), ut neque respiciens personam hominum, ulla neve damna aut discrimina reformidans, quin et gaudens pro nomine JESU *contumeliam pati* (5), quamdiu ei lucrifaciat, omnia penitus ausit, sua seque ipsum libenter daturus, ac zelo prorsus comeditur domus Dei (6). Ecquid vero zelus, nisi intensior ac fervens amor, quo suaviter fortiterque in id omne animus excitatur, quod voluntati divinae atque gloriae quoquo mo-

(1) *Ad Tit.* 2. 14.
(2) *Joan.* 4. 23.
(3) 1. *Tim.* 6. 11.
(4) *Act.* 17. 16.
(5) *Act.* 5. 41.
(6) *Psalm.* 68. 10.

do nitatur obsistere (1)? Praevaricantes videns atque tabescens (2), insurgit protinus, lateque populante flagitiorum illuvie, sese veluti columnam ferream et murum aerum (3) strenue objiciens, in dies heu! frequentioribus impiorum ausibus, quibus Ecclesiam Dei passim lacessire, prorsusque conantur evertere, numquid non verba ejus sunt quasi ignis et quasi malleus conterens petram (4)?

Verum quia *novit ingeniosissimus serpens ille vel per bona opera suum virus disseminare* (5), verendum plane, ne, aliquid humani passi, dum summi Conditoris gloriam, animarumque salutem astruimus, humor quidam secretaque naturalis inclinatio, vel inflata potius philautia sub ferventiori zelandi specie aliquando subrepant: ne singularis severitatis aut procacis praeminentiae inanibus captandis laudibus, plurima, maxima quaeque, ac prope cuncta, et ipsimet soli, videamur peragere, nonnulli enim *Domini videri appetunt, patres se esse minime recognoscunt* (6): ne tandem in personarum acceptione pro mundi honestate decepti, exardescat *contra inopes increpatio modum nullum servans, at contra eos, qui potentia aliqua praediti sunt, ne diducere quidem labia* (7) audeamus. Absit autem, ne effusiori fortassis impetu excandescentes, acerbis nimium durisque interdum increpationibus obstrepant, neve re minus quam verbis asperiori quadam rusticitate minitentur. Jus esto Supremis Pastoribus facinorosos vel quoque invitos ad bonam frugem coercere;

(1) S. Thom. 1. 2. *q.* 28. *a.* 4.
(2) *Psalm.* 118. *v.* 158.
(3) Jerem. 1. 18.
(4) *Loc. c.* 23. 29.

(5) Chrysost. *de sacerdot. lib.* 3.
(6) S. Gregor. M. *Homil.* 17. *in Ev. n.* 4.
(7) *Loc. c.*

suadere tamen parochus potissimum debet, isque profecto nequit vi eadem compellere (*B*). Neque enim emendandis delinquentibus tanta ei elargita potestas; qua si etiam polleret, ea neutiquam uti posset, cum iis solum, qui non vi aliqua, sed voluntario animi proposito, a peccatis abstineant, pateat Christum Dominum promisisse coronam (1). *Nescitis cujus spiritus estis* (2), Jacobo et Joanni, in civitatem Samaritanorum ingressu vetito, ad perdendam eam, ignem de coelo petentibus, Servator clementissimus exprobravit. Cum ergo purior ab charitate zelus promanet, ex eaque augescat ac ferveat, charitatis pariter est, zelum attemperare, et quibusdam veluti terminis praefinire. Utique fortis, itemque zelotes, et ubique sollicitus, ast insimul miserationis discretione, benedictione dulcedinis, bevevolentia, humilitate spectabilis, ab divini Praeceptoris monitis ac exemplis, spiritus paroecialis apprime exquiritur.

Fidelis itaque, sed et prudens quem constituit Dominus super familiam suam. Hanc porro circumspectae prudentiae laudem, ceu pastoralis, spiritus alterum caracterem, dicta gestaque Christi praesignarunt. *Ecce*, inquit, *ego mitto vos sicut oves in medio luporum, estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae* (3). Scilicet ad synaghogas contradicentes ituros, et apud reges et praesides illustre Crucis testimonium propalam redditures, inermes quidem ac imparatos misit, at innocentiae et sinceritatis conscientia, simulque munitos prudentia colubrum, qui acuta pervidendi acie aut cavenda aut agenda dicuntur ocyus prospicere, sive qui, prout aliis vi-

(1) Chrysost. *loc. c. lib.* 2.
(2) Luc. 9. 55.
(3) *Matth.* 10. 16.

sum, ut capita tueantur, reliquum corporis insecutoribus dilaniandum malunt exponere (*C*). Numquid vero, quia dudum, quibus Judaeus et ethnicus persecutor efferbuit, desiere pericula, minus adhuc audienda Divini monita praeceptoris? Nonne, tempestate praesertim hac nostra, et in tanta morum perversione, et ab dicaci eorum licentia, quos *tradidit Deus in reprobum sensum* (1), *quorum os maledictione et amaritudine plenum est* (2), quo minus effero ac patenti, eo periculosiori, veluti quodam intestino bello, undique impetitur ac fere dehonestatur Ecclesia? At neque flagitiorum monstris configendis, neve impie deblaterantium praefocandis conviciis enses, ut ita dicam, scutaque sumenda sunt, ac si pro aris et focis dimicandum foret. *Novum belli genus*, sapienter Chrysosthomus, *et insolitum praeliandi morem, cum ab ovibus lupi superabuntur*! *Erubescamus qui tamquam lupi in adversarios ruimus; nam quamdiu oves fuerimus, vincimus, etiamsi mille circumstent lupi, superamus et victores sumus: quod si lupi fuerimus, vincimur* (3). Gravis jugiter, non multiloquus, at fere cunctator, optimus gubernator fidelium, neque conatu vehementiori in cuncta, quae forte exciderint, inardescit, neque vel modica veritatis ac virtutis fines impune sinit praetergredi: sed prae diversis undequaque circumstantiis, parce, mature, ad rem apposite, leni quadam solertia facilius lucrari satagit, quod effusa plerumque imprudentia perdere, ac in deterius vertere niteretur. Quinimo *aliquando subjectorum vitia prudenter dissimulanda sunt, sed quia dissimu-*

(1) *Ad Rom.* 1. 18.

(2) *Psalm.* 9. 7.

(3) *Homil.* 34. *in Matth.*

lantur indicanda: *aliquando et aperte cognita mature toleranda* (1). Sese omnibus idcirco, ac singulis adeo pastorem decet accommodare, ut ad regnum Dei ampliandum, sibique concreditum gregem conquirendum quoquo modo intendere videatur. *Nam cum illum necesse sit eorum hominum consuetudine ac congressione uti, qui et uxores habent, et liberos alunt, et servos possident, quique divites admodum sunt, et publice negociantur, et potentia pollent, certe varium esse convenit. Varium autem dico, non subdolum, non adulatorem, non dissimulatorem, sed magna tum libertate, tum fiducia plenum, ac qui ex re sese submittere, atque obsecundare sciat, quoties negociorum usus postulat, quique idem benignus sit et austerus. Quae omnia vel intér se pugnantia ad unum hunc finem spectant, nimirum ad Dei optimi laudem, atque Ecclaesie aedificationem* (2). Cujusmodi sane prudentiae spiritu, magno atque alacri animo in adversa omnia paratum, sibimet quoque pastorem jure meliori prospicere, experientia deprehendimus. Obvium quidem promeritos etiam rectores haud raro in quicquam offendere: bona quoque opera saepius ab improbis in deterius interpretari: animosiores interdum ex popularibus ventilare cuncta atque carpere, de minimis conqueri, ac usquequaque garrientes de pluribus immerito insimulandis occasionem nancisci. Haec enimvero summa pastoribus prudentiae laus, ut vincant in bono malum, ac sibi potius gratulentur, comminiscentes, quia *non est discipulus super magistrum*: *si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos*

(1) S. Gregor. M. *Pastor. Part.* 2. c. 10.

(2) Chrysost. *de Sacerdot. l.* 6.

ejus (1), *et si quid patimini propter justitiam*, *beati* (2). Ecquis Chrysosthomo dicteriorum atque aerumnarum majora perpessus? Attamen et docentis et facientis alte animo infigenda sententia est: *quippe antistitem necesse est absurdas etiam devorare criminationes* (3) (*D*). Unde et in ipsa Petri cathedra Eugenium nostrum irreprehensibili sanctitate adlaborantem olim Bernardus praemonuit: *multa nescias*, *plurima dissimules*, *nonnulla obliviscaris* (4). Quoniam vero et loco et tempore, ne parvis maxima succrescant, aut totam prope sylvam igniculus incendat, quibusdam finibus res prudenter coercenda sit, *intempestivas insimulationes neque praeter modum vereri*, *ac reformidare*, *neque rursus leviter despicere convenit*: *sed te oportet contendere*, *eas statim ut extinguas* (5); cum et ipse Servator mitissimus, scribis ac pharisaeis ejus opera atque doctrinam admordere ausis et inficiari, sese ab eis inhonoratum quandoque conqueri, et cordis duritiem atque perfidiam saepius exprobare non dubitarit.

Quandoquidem vero caracterum utrumque, quos hactenus cursim attigimus, sibi ovium custodes gaudeant adfuturum, superest, ut paroeciali perficiendo spiritui, atque in optimam fidelium frugem praeferendo, eumdem tueri ac fovere studio satagant diligentiori, *soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (6). Nullum sane hujusmodi servandae unitati detrimentum majus, quam si pastoris, ruri praesertim, cooperatores presbyteri, in eodem spiritu minime consocientur. Fatendum utique, ex iis haud paucos, quibuslibet vel bonus egerit rector, adeo

(1) *Matth.* 10. 24. 25.
(2) 1. *Petr.* 3. 14.
(3) *Loc. c. lib.* 5.
(4) *De consid. lib.* 4. *c.* 9.
(5) Chrysost. *Loc. c.*
(6) *Ad Ephes.* 4. 3.

adversari, ut in re quaque prorsus invidere, furtim carpere, palamque interdum contraire non vereantur, ut vere dixeris, *inimici hominis domestici ejus* (1). In quo plane interest potissimum paroeciae moderatori, adjutores sibi fratres quoquo modo allicere et inviscerari, ut ore uno et anima una, intemerato doctrinae, disciplinae, morum foedere inito, insimul procedant et convalescant. *Melius enim culpa vitabitur, si inter sacerdotes Domini collatio frequentior habeatur; et emendationi pariter et caritati plurimum praestat adunata societas* (2). *Nam si inter homines ea firma amicitia est, quam morum similitudo sociarit, cum tamen parilitas voluntatum saepe in reprobos tendat affectus; quantum nobis optandum atque nitendum est, ut in nullo ab iis, quae Deo sunt placita, discrepemus* (3). Quod si nonnullos, quibus cum bene feceris pejores fiunt, quandoque datum adinvenire, caute ac sobrie apud Ordinarios, ut corrigantur, reque infecta, tamquam infelix lolium bona semina praefocans, amoveantur, danda opera est. Sapientem alloquor, ac experientiae diutinae laude probatissimum, cui spiritum unitatis et pacis, tribulorum ac spinarum squalore resecato, pastorum plurimi acceptum referunt. Nil revera felicius rebus humanis pacatissima ejusmodi ac vere aedificanti in sacris cum pastore administris animorum conjunctione, qua facilius in plebem Christi spiritus idem, ceu per rivulos quosdam, ita influit passim ac perseverat, ut *unum corpus et unus spiritus* (4) plane efficiatur (*D*).

(1) *Matt.* 10. 36.

(2) S. Leo M. *Epist.* 4. *ad Turit. pag.* 27. *Tom.* 2. *ed. Rom.* 1755.

(3) Idem *serm.* 1. *de jejun. et collect.*

(4) *Ad Ephes.* 4. 4.

Dum autem haec ad exterius regiminis munus commendo, ea cum quibus sunt mundi nullatenus confundenda nolim, quae sane ab pastorum ore atque corde abjicienda penitus ac prorsus extrudenda. Ecclesiastico quippe spiritui mundi spiritus e regione adversatur, et alterum necessario utervis excludit. Hinc haud raro in nonnullis, qui duobus servire insimul dominis satis confidunt, nimium terreno inquinatis pulvere, sacri spiritum ministerii saepe labefactari, ac veluti languescere aegre conspicimus; ipsis plane et honorum culmina, et auspicia magnatum, et lucra quaeque, et oblectamenta, et alia id genus plurima, callidioribus humanae polithices adminiculis, ac inexplebili ambitionis cupiditate, anxie dilecta et quaesita, eisque aliquomodo capessendis, munia, dignitas, ipsa quoque relligio quandoque posthabita. E contra spiritum, *quem mundus non potest accipere* (1), sua quidem ad sociale quoque bonum subsequuntur emolumenta. Quamvis enim interdum obscuriori prognatus genere, nullaque, vel ab aetate primula, institutione perpolitus, si tamen suo vere praeditum spiritu pastorem repereris, is plerumque urbanitate quadam praeveniens, comitate docilis atque patens, et dicta gestaque sua ad cuncta quaeque socialis vitae recte componens adeo ac honestans, ut omnium admirationem facile promereatur. Verum, et novissimo jugiter accumbere loco, non nisi ab repetita avocatione superius ascensurus, ex animo satagens, et fractiores saeculi vanitates ubique perosus, *non quae sua sunt, sed quae Jesu Christi* (2), avet et quaeritat: consuetudinis habitu, opere, verbo, incessu, ipsoque silentio, *est enim aliquid, quod*

(1) *Joann.* 14. 17. (2) *Ad Philipp.* 2. 21.

ex magno viro vel tacente proficias (1), cujus legatione in terris fungitur decus, aequitatem, misericordiam exhibere ab seipso gestiens, *odorem notitiae suae manifestat in omni loco* (2), perinde ac si cunctos in eum intuentes affatus, memet, sicuti et ego Christum JESUM, imitamini (3).

Sese denique diligentiori trutina perscrutari, prae ceteris operae praetium, ne sub hujuscemodi benefactis delitescat aliquando, aut turpis reveletur hyppocrisis, *et quod foris ostenditur, intus a mercede vacuetur* (4). Sicut enim, a quo sumpsere principium, eidem quoque spiritui effectus atque finem oportet maxime respondere, ita, quum paroecialis a spiritu Christi apprime exoriatur, quam ipse praestitit, eamdem praeseferre intentionem purissimam, ut nempe ad gloriam cultumqne Dei cuncta reapse omnino dirigantur. Cui sane voluntati bonae adsequendae, ejusque fructibus custodiendis, augendisque, omnium uno praestantiori orationis munimine exorandus jugiter Dominus, qui *dabit spiritum bonum petentibus se* (5). Quoniam vero in mediis hominum turbis pastores necesse est ubicumque versari, ideoque, ne ab pessimo defluentis saeculi scandalo, veluti a lutulenta exundantis fluminis faece, piorum quoque corda respergantur, quandoque verendum est, ne propterea pietas ac fervor relaxari paulatim atque frigescere, viresque spiritus attenuari aliquatenus periclitentur, sese ad coscientiam, quotiens opus fuerit, studeant revocare; et praetioso Pauli monito, *reno-*

(1) Senec. *Epist.* 94.

(2) 2. *Corinth.* 2. 14.

(3) Sevoy *Devoir. Eccl. lib.* 1. c. 7.

(4) S. Greg. M. *Homil.* 12. *in Ev.*

(5) *Luc.* 11. 13.

vamini spiritu mentis vestrae (1), fidelem admoventes auditum, sacro quolibet interdum sibi petito recessu, ibidem ad concrediti spiritum ministerii virtutes, munera, coronas, eoque labente pericula atque damna salutari meditatione affatim recensentes, se spiritu principali satagant confirmari (2). Ast quorsum haec? Nonne vero, Praesul bone, quae breviori stylo contraxerim, quaeque potiora ad rem dicenda superessent, in egregio, quem dolenter amisimus, pastore optimo satis abunde re magis exhibita, quam verbis attexenda, perspecta nuper habuimus? Adeo quippe *insiliit in eo spiritus Domini* (3), ut pro ejus honore, omnibus quibuscumque posthabitis, unice, indesinenter adlaborandum sibi proposuerit, et super novissimis Ecclesiae jacturis, improborumque fllagitiis, fletu magno, imisque suspiriis prorsus tabescens, seipsum potius alacri corde immolandum anxie postularit; sui autem gregis in vitae semitam deducendi usquequaque solicitus, zelo impiger, aeque ac prudens, charitate, mansuetudine, simplicitate cunctos sibi demeruit, donec ad virtutum quaeque instantem sibi *spiritus bonus deduxit in terram rectam* (4): cujus o utinam omnes animarum curae subfecti, *intuentes exitum conversationis, imitentur et fidem* (5)!

(1) *Ad Ephes.* 4. 23.
(2) *Psalm.* 50. 14.
(3) 1. *Reg.* 11. 6.
(4) *Psalm.* 142. 10.
(5) *Ad Hebr.* 13. 7.

ILLUSTRATIONES.

(*A*) *Ut recte adsequatur sensus versic. 4. Psalm. Davidis CIX.* Juravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, *videre praestat luculentissimam Chrysosthomi Orationem XIII., qua e magni Pauli Apostoli doctrinis, profundiori ratiocinatione et eloquentia prope divina, inter vetus novumque Sacerdotium grandia et plurima discernit, remque omnem uberrime ac lucidissime aperit collustratque.*

(*B*) Attende tibi ipsi. Unusquisque etenim nostrum, quos sermo divinus docet, certae cujusdam actionis, quam nobis Evangelium praeceperit, minister est. Siquidem in magna domo, hoc est in hac Ecclesia, non solum omnis generis vasa sunt, aurea, argentea, lignea, testacea: sed etiam cujusvis generis artes. Habet enim Ecclesia Dei viventis venatores, viatores, architectos, aedificatores, agricolas, pastores, pugiles, milites. Omnibus his quadrat hoc breviculum, quod unicuique, cum agendi, tum volendi studium injicit, venator es missus a Domino, qui ait: ecce ego mitto venatores, et venabuntur eos super omnem montem; sedulo attende, ne tibi praeda elabatur: ut eos quos vitium belluinos reddidit, veritatis verbo correptos ad Salvatorem adducas. Viator es, similis ei qui precabatur, gressus meos dirige. Attende tibi ipsi, ne deflectas a via, neve ad dextram vel sinistram declines, sed calle regio pergas. Qui architectus est, certum fidei fundamentum jaciat, quod est Christus Jesus; qui aedificator est, videat quo pacto superstruat, non ligna, non foenum aut stipulam, sed aurum,

argentum, lapides pretiosos. Qui pastor es, da operam, ne quid eorum te praetereat, quae attinent ad munus pastoris. Quaenam ista sunt? Quod oberrat, in viam reduc: quod confractum est, alliga: quod aegrum est, cura. Qui agricola es, fac, sterilem ficulneam circum fodias, et ea quae ad foecunditatem conducunt, injicias. Qui miles es, collabora Evangelio: bonum certamen adversus malignos spiritus certa: adversus affectus carnis armaturam Spiritus assume. Hujus vitae molestiis ne impliceris, ut imperatori qui exercitum conscripsit, placeas. Athleta et pugil es? attende tibi ipsi, ne quidquam ex palaestrae legibus praetereas. Nemo siquidem coronatur, nisi legitime certaverit. Paulum imitare, tum currentem, tum luctantem, tum pugnantem: tuque boni pugilis instar caveas, ne animi oculus huc atque illuc vagetur. Objectis manibus precipuas partes tege: oculum in hoste prorsus defixum habe; in stadio semper ad ea quae a fronte sunt specta, teipsum extendens: sic curre ut comprehendas. *S. Basilius Magnus* apud S. Joan. Damascen. in *sacr. Parallel. lit. y. tit II.*

(C) Duplex est prudentiae nomen; una suum ipsius commodum tuetur, sic tamen ut simul struat insidias alieno, qualis est serpentis prudentia, caput suum custodientis. Haec videtur astuta quaedam morum malignitas, quae cito quod sibi utile est comminiscitur, ac simpliciores depraedatur: quali prudentia fuit villicus iniquitatis. Vera autem prudentia, agendorum et non agendorum cognitio est et secretio: quam qui sequitur numquam secedet a virtutis operibus, numquam exitioso vitii jaculo transfigetur. S. Basilius M *.Hom. 1. in Proverb.*

(D) Vera patientia, quae hujus est nomine digna virtutis, quaerendum est, unde sumatur. Sunt enim qui

35 *

eam tribuant viribus voluntatis humanae, non quas habent ex divino adjutorio, sed quas ex libero arbitrio. Error autem iste superbus est: eorum est enim qui abundant, de quibus dicitur in Psalmo: *opprobrium eis qui abundant, et despectio superbis.* Non ergo est ista *patientia pauperum*, quae *non perit in aeternum.* Hi enim pauperes ab illo eam divite accipiunt, cui dicitur: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*: a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum: ad quem clamat egenus et pauper, qui laudat nomen ejus, et petendo, quaerendo, pulsando, dicit: *Deus meus eripe me de manu peccatoris, et de manu legem praetereuntis et iniqui*: *quoniam tu es patientia mea, Domine, spes mea a juventute mea.* Isti autem qui abundant, et egere ad Deum dedignantur, ne ab illo accipiant veram patientiam, de sua falsa gloriantes, consilium inopis volunt confundere, quoniam Dominus spes ejus est. Nec adtendunt, cum homines sunt, et suae, id est, humanae voluntati tantum tribuunt, in illud se incurrere quod scriptum est: *maledictus omnis qui spem suam ponit in homine*; unde etiamsi eis contingat, ut aliqua dura et aspera, vel ne displiceant hominibus, vel ne graviora patiantur, vel sibi placendo et amando praesumtionem suam, eadem ipsa superbissima voluntate sustineant; hoc illis dicendum est de patientia quod de sapientia beatus Jacobus apostolus dicit: *non est ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.* Cur enim non sit superborum falsa patientia; sicut superborum est falsa sapientia? A quo est autem vera sapientia, ab illo est et vera patientia. Huic enim cantat ille spiritu pauper: *Deo subiecta est anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea.* S. Augustinus *Lib. de Patientia cap. XV.*

Haec voluntas bona, id est, voluntas sanctitate superni ardoris accensa, voluntas quae diligit Deum et proximum propter Deum; sive amore, de quo respondet apostolus Petrus, *Domine, tu scis quia amo te*; sive timore, de quo dicit apostolus Paulus, *in timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini*; sive gaudio, de quo dicit, *spe gaudentes, in tribulatione patientes*; sive tristitia, qualem se dicit magnam habuisse pro fratribus suis: quaecumque amara et aspera sufferat, caritas Dei est, quae omnia tolerat, quae non diffunditur in cordibus nostris, nisi per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. S. Augustinus *lib. de Patient. cap. XXV.*

(E) Perfectissimam vitae societatem appello ego eam a qua fugata est animorum dissentio, et ex qua perturbatio omnis, contentioque ac dissidia absunt; in qua vero omnia sunt communia, animae, sententiae, communis Deus, commune pietatis negotium, salus communis, communia certamina, communes labores, coronae communes, ubi multi unus, et unus non solus, sed in pluribus. Vere et diabolus ipse de hujusmodi phalange desperat, impar tot pugnantibus adeo composite ac confertim adversus ipsum militantibus, tantaque cum charitate, testudine inter se facta certantibus, spirituque ita septis et communitis, ut ne minimum quidem illius assultibus accessum praebeant. S. Basilius M. *Const. Ascet. cap.* 18.

(F) Ad te ipsum pervestigandum animi oculum converte. Multi enim, ut voce Domini utar, festucam in oculo fratris cernunt, trabem autem quae in oculo suo est, non vident. Quocirca sine intermissione ulla teipsnm excute, nec quae extra sunt explores, an labem aliquam invenire uspiam queas, velut morosus ille et arrogans

pharisaeus, qui justitiam suam stando praedicabat, ac publicanum aspernabatur. Ne cesses igitur teipsum examinare, num quid sermone peccaris: num lingua praecurrens mentem quocumque modo lapsa sit: num denique quidpiam a nobis agendo patratum sit. Attende ergo tibi ipsi, nec unquam sinas, ut tua mens in captivitatem redacta, affectionum perturbationumve servituti mancipetur. S. Basilius M. *apud* Damascenum *loc. c.*

EPISTOLA XV.

De vitae honestate et conversatione.

Hactenus plurima, ut quae pastoribus erudiendis, gregique sibi concredito in viam salutis dirigendo, rem facere viderentur, innueremus, brevi stylo contraximus. Quoniam vero parum, sibi aliisque recta sapere, nisi quoque profuerit optime vivere; superest, ut quaedam in animarum custode de privati hominis moribus inquiramus. Arduum sane et innumeris refertum periclis iter aggreditur ovium rector, quem „ in primis oportet esse adeo multarum rerum experientia instructum ornatumque, intantum, ut saecularia mundanaque omnia nihilo minus noscat, quam norunt ii, qui in media hominum turba versantur „ (1). Hujuscemodi autem necessitas quibus quantisve scateat incommodis ac discriminibus, nemo non videat. Datum enim populis *speculatorem* (2), nedum cuncta prospicere, sed et semetipsum, perfectionis veluti tesseram, propalam exhibere, moresque decet ita componere, ut *animi pulcritudine undique splendescere, ut oblectare pariter et illustrare possit eorum animos, qui suos in illum oculos injiciunt* (3). Quamobrem inter fluxas saeculi vanitates, ipsasque flagitiorum contaminationes undequaque obversari, et tamen minime coinquinari, et inoffenso pede innocuam custodire vitam, haud

(1) Chrysost. *de Sacerdot. l.* 6.
(2) *Ezech.* 3. 27.
(3) Chrysost. *loc. c. lib.* 3.

quidem facile: nisi pervigili atque alacri voluntati adfuerit et gratia (1).

Pudicum, *sobrium*, *domui suae bene praepositum*, *sanctum*, *irreprehensibilem* (2), hem qualem Paulus designaverit, ac praeceperit esse pastorem. Pudicum, inquam, et mente ac corpore *sic esse purum oportet*, *ut si in ipsis coelis collocatus*, *inter coelestes illas virtutes medius staret* (3). Quae plane castimoniae lux praeclarissima, vel a primaeva christiani nominis aetate domesticis Dei apprime cara atque pretiosa, sollemni postmodum voto obfirmata, tantum hierarchicae dignitati hucusque comparavit honoris, ut tamquam pulcrior ac fere princeps ministrorum dos videatur celebranda, ideoque nec satis unquam in deliciis habenda prae ceteris, et annisu curaque omni custodienda numquam satis. Atqui re vera praecipuum hoc arduumque opus, assiduus hic pervigilque labor. Etenim utrique pastor in re sacra debitor sexui: „ neque enim potest, qui gregis curam suscepit, viris tantum curandis operam dare, mulierum autem curam negligere; qua in parte, magna profecto opus est providentia, quod facile ad peccandum quisque proclivis sit; sed illum oportet pro illarum salute nisi majorem, at parem certe curam studiumque impendere. Nam et eas invisere aegrotantes, et solari lugentes, et increpare delinquentes, et adjuvare afflictas oportet: quae omnia dum fiunt, plures irrumpendi aditus daemon invenire potest, nisi exactissima quis et munitissima custodia sese vallaverit (*A*). Quippe animum ipsum ferit ac commovet, non impudicae tantum, sed etiam pudicae mulieris oculus: et simul ca-

(1) *Loc. c. lib.* 6.

(2) 1. *Timot.* 3. 2. 3. 4.

(3) Chrysost. *loc. c. lib.* 3.

ritas fervens, eadem bonorum omnium author, iis, qui ea recte uti nesciunt, malorum omnium author fit (1)„. Numquid vero praestat, an sancte quis processerit diebus multis, et salutari continentiae austeritate occalluerit? *Non est facile de provecta aetate credendum, quam et vita praeterita defendit, et honorat vocabulum dignitatis; verum quia homines sumus, et interdum contra annorum maturitatem puerorum vitiis labimur* (2). Utinam, rector gregis, *foeminae nomen tuum noverint, et vultum nesciant* (3)! Vel, quod prae circumstantiis plerumque facile praestandum, *si propter officium aut vidua visitatur aut virgo, numquam domum solus introeas* (4)! Quandoquidem vero, occasione quoque prudenter semota, et caro adversus spiritum concupiscat, et angelus sathanae seorsim nos colaphizet, sensuum idcirco praecludere aditus, animi septa communire, et qua datum ope immaculatum ejusmodi nitorem sibi promerere necessum est. Magnum auscultes Paulum docentem, et licet sibi exhibita sufficeret gratia, simul et facientem, *castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (5); Hieronymum inspicias, *malorum ac morborum incommoda tolerabilius sustinentem, dummodo una et gravissima domina libidine careret* (6); adeas Chrysosthomum, *omnium animi morborum medicamentum in Scripturis sanctis habentem* (7); cunctos denique omnis aevi sanctos fidelesque administros undique consulas, et assidua oratione, quam *pudicitiae praesidium atque tutamen* (8) apprime vo-

(1) *Loc. c. lib.* 6.
(2) S. Hieronym. *Epist. ad Rustic.*
(3) *Ibid.*
(4) Idem *Epist. ad Nepotian.*
(5) 1. *Corinth.* 9. 27.
(6) *Epist. ad Pammach.*
(7) *In Psalm.* 36. *c.* 1.
(8) S. Greg. Nis. *Tract.* 1. *de Orat. Dom. c.* 2.

citant, et *jugi Christi vulnerum recordatione* (1), et saluberrimo finis universae carnis ac futuri judicii metu (2), et suavissima coelestium meditatione (3), hanc sibi innocuam gratiae comitem reperias adsecuutos.

Sin autem iisdem plane ulli destituantur auxiliis, nil mirum, si *idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris: impellentur enim, et curruent in ea* (4). Atqui si forte *lupum pro pastore* (5) datum detegere? Vae misero, quia *justificasti oves tuas in omnibus abominationibus, quas operatus es* (6), et *servire fecisti Deum tuum in peccatis tuis* (7). Te noscas, heu, *traditum sathanae in interitum carnis* (8); et ab temporanea diutinae poenae Canonum severitate (9), metiaris aeternam. At vero, si *modestiae animi species quidem multa, veritas autem nulla* (10), adeo ut nisi caste, sicuti jactitant, caute saltem aut persaepe labantur, aut in iis faede contabescant, quae Paulus, *opera tenebrarum* (11) apposite nuncupavit; se, quaeso, non creditis tantum populis, sed utique Deo, sibique potius intemeratae munia vitae exsolvenda recogitent: se noverint a Christo Domino ceu *sepulcra dealbata* (12) acri exprobratione praesignatos: seque cum tristibus pessimam partem hypocritis habituros meminerint, et contremiscant.

Quoad sobrietatem succurrit primum *vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam ha-*

(1) S. Augustin. *Manual. c.* 22.
(2) S. Gregor. M. *Moral. lib.* 16. *c. ult.*
(3) S. Cyprian. *de orat. Dom.*
(4) *Jerem.* 23. 11. 12.
(5) Chrysost. *Epist.* 2. *ad Olimp.*
(6) *Ezech.* 16. 51.
(7) *Isai.* 43. 24.
(8) 1. *Corint.* 5. 2.
(9) *C.* Pervenit. *dist.* 90. *C.* Presbyter, *dist.* 80. aliique.
(10) Chrysost. *de Sacerd. l.* 3.
(11) *Rom.* 13. 13.
(12) *Matth.* 23. 27.

bitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant (1). Tridentinae praeceptioni praeiverant veteres plurimae, eamque ad haec usque tempora, gravi quoque contumacibus mulcta perculsis, subsequuntur Synodicae haud absimiles ubique constitutiones. At *luxus vestium interdictus, sed non restrictus: poena dictata, sed minime secuta est* (2) (*B*). Saecularibus quippe vanitatibus gerentes morem, et novissimos nimium usus redolentes, quosdam passim conspicimus, uti eos Ezechiel praefingit, *vestitos hyacinto, juvenes cupidinis* (3). *O miserandam sponsam, talibus creditam paranymphis! Aliud esse, aliud videri volunt: at forma haec vestium deformitatis mentium et morum indicium est* (4). Jam vero nec de exsquisito vestium cultu haec raptim adnotamus, ut abjectam potius aliquorum seu rusticitatem, seu negligentiam, quae turpem quandoque parsimoniae quaestum, affectationem aliquando ac publicae decentiae veluti contemptum omnium oculis praesignant, videamur probare; etenim, ne pastoralis dignitas utrobique vilescat, *ornatus et sordes pari modo fugiendae sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet* (5): atque excessus utcumque hoc super negotio semper vitandus, pastorum quippe *habitus, sermo, incessus virtutum est* (6).

Hinc paroecialis esse sobrietatis, castam servare potius et linguam, probe intelligimus. Equidem, *comem, officiosum, sed minime servilem* (7) laudibus prosequor:

(1) *Conc. Trid. Sess.* 14. *de Refor. c.* 6.

(2) S. Bernard. *de considerat. lib.* 3. *c.* 11.

(3) 23. 6.

(4) S. Bernard. *loc. c.*

(5) S. Hieron. *Epist. ad Nepotian.*

(6) Idem *Epist. ad Rustich.*

(7) Chrysost. *de Sacerd. lib.* 3.

non *ineptas et aniles fabulas* (1), non *profana et vaniloquia* (2), non *stultas et sine disciplina quaestiones* (3) garrulo sectantem ore, ac de re quaque cuncta praeter fas ventilantem: neve socordia quadam, perosum cuique despectumque, auditorem tantum: at *sermonem semper in gratia sale conditum* (4) prae circumstantiis sobrie cauteque promentem commendo; quamvis interdum *multo melius sit, e duobus imperfectis, rusticitatem sanctam habere, quam eloquentiam peccatricem* (5). Nam *et delicias, et lepores, et risu dignas urbanitates, et ceteras ineptias amatorum in comoediis erubescimus, in saeculi hominibus detestamur; quanto magis in clericis, quorum et sacerdotium proposito, et propositum ornatur sacerdotio* (6)? Ceterum *sale Scripturarum conditus sermo* (7), qui sacerdotalem ubilibet praeseferat gravitatem, necnisi ad virtutis amorem opportune audientium animos moveat et alliciat (*C*): neque aequivoca unquam fucatus verborum malignitate, neve scurrilium phaleris dehonestatus: qui, veluti facies una castissimorum eloquiorum, sibimet jugiter instet; *quae enim temere, aut simplicitate fiunt, plerique accurate, ac diligenter excutiunt, pensitata etiam vocis mensura, aspectus habitu, ac risus quantitate* (8).

Unum porro est, de quo generatim presbyteri, tamquam voraci gula notandi propalam insimulentur. At quamvis helluones ejusmodi, *quorum Deus venter est* (9), *fides in culinis calet, spes in ferculis jacet* (10), ne suspi-

(1) 1. *Tim.* 4. 7.
(2) 2. *Tim.* 2. 16.
(3) *Loc. c.* 23.
(4) *Coloss.* 4. 6.
(5) S. Hieron. *Epist. ad Nepot.*
(6) Ibid.
(7) Ibid.
(8) Chrysost. *de Sacerd. lib.* 3.
(9) *Philippen.* 3. 19.
(10) Tertullian. *Adv. Psichic.*

candum quidem inventum iri crediderim, aliquid nihilominus dicendum fore de nonnullis haud certe negem. Frequentius namque in procerum aulis, praesertim ruri degentium, opiparis eorum conviviis, collectitios interdum, saepius inarcessitos adesse, videre est (*D*). Quod, de pastoribus praecipue loquendo, inordinatum sane ac indecorum, tum quia sacrorum maxime administrorum ostendendae sobrietati adversetur, et, nobilium ac divitum epulis ad vesperas ultraque appositis, sanctis dicatae muniis horae plerumque raptenur: tum quia *facile contemnitur clericus qui saepe vocatus ad prandium, non recusat* (1). Ac re quidem vera, labentibus diebus, servili quadam subjectione unum aut alterum vidi egomet prorsus viluisse: aliquis insuper contigit, tamquam palpo, scurra, susurro famulis quoque ac mulierculis tenus haberi. Quapropter *convivia vitanda sunt saecularium et eorum maxime, qui honoribus tument* (2). Jam vero, si foris dedeceat, nec domi epulari splendide censeatur licere. Frequentiori quippe abusu, ut hilari persaepe ientacula comessantium laetentur corona (*E*), et paroeciarum titularibus aliisque sollemnioribus occurrentibus festis, et episcopalis caussa visitationis, tanta selectissimae ac exquisitae dapis copia instaurantur edulia, ut jure quidem parocho dixeris cum Hieronymo, *turpe est judicem provinciae melius apud te prandere quam in palatio* (3); interea vero *conquerantur famelici, nostrum est quod effunditur* (4). *Non alligandum os bovi trituranti* (5) optime novimus: at sicuti de struenda penu et studiis popinae delica-

(1) Chrysost. *Loc. c.*
(2) S. Hieron. *Epist. ad Nepot.*
(3) *Loc. c.*
(4) S. Bernard. *ad quemd. Episc. epist.* 24.
(5) *Deut.* 25. 4.: 1. *Corint.* 9. 9.

tioribus, nondum satiata ingluvie, undequaque solicitum, vinoque deditum ac fortasse temulentum, omnino improbamus (1); ita cujusquam generis opsonia sibi deposcentem minime criminamur: sed *modum pro aetatis et valetudinis et corporis exigimus qualitate* (2), sed utique frugi ac temperantiae salutaris moderamine spectabilem, cujus mensa, prae conditione personae, ac loci, inculpatam jugiter sobrietatis normam praeseferat, exoptamus.

Praeterea domui suae bene praepositus ovium custos exquiritur. Paroeciale namque habitaculum tamquam exemplar ceteris praelucere opus esse, ex eo praesertim colligimus, quod, ruri potissimum, omnium in ipsum oculi convertantur. Quinimmo tanta huic impendenda negotio cura est, ut ab ipsius negligentia sacri itidem defectio ministerii metienda fere videatur; *si quis* enim *domui suae praeesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit* (3)? Hinc *filios*, videlicet familiares, *habentem subditos cum omni castitate* (4) Apostolus primum praesignavit. *Foeminas quascumque, etiamsi vetulas atque despectas* (5), *etiam arctissimo consanguinitatis, affinitatisque vinculo conjunctas, aut cibos, aut alia domestica officia parandi causa* (6), cum pastoribus commanere, veteri jure passim inhibitas, satis quidem exploratum habeo (7). Quoniam vero, labentibus saeculis, mitiori quadam disciplinae indulgentia, universim id modo non adeo vetitum, ut pro exiguis plerumque redditibus ancillulam unam, aut propriae re domi angusta e propin-

(1) *Loc. c.* 3. 3.
(3) S. Hieron. *loc. c.*
(3) 1. *Tim.* 3. 5.
(4) *Loc. c.* 3. 4.
(5) S. Cyprian. *de sing. Cler.*
(6) *Act. Eccl. Mediolan. p.* 413.
(7) *De cohabit. Cleric. C.* Inhibendum. *C.* Si quispiam. *C.* Oportet. *Dist.* 81.

quis aliquam sibi nequeant pastores in famulatum accersere; bene saltem moratas, ac provectas aetate (caussam vero, quam pudet exscribere, ab Hieronymo sciscitentur (1)) sibi curent inservire, earumque undique moribus perscrutatis, omnimodam vitae consuetudinem ad frugem optimam satagant praeordinare. In quo rectores potissimum monitos velim, ne quae ad interius exteriusve plebis gubernium contigerint peragenda, domesticis famulisque ullatenus innotescant; indecorum namque ac probrosum, mulierculas aut familiares sese in ejusmodi negociis ingerere, quoscumque forte prae diversis rerum congruentiis ad paroecialem aedem ventitantes statim adoriri, quid sibi efflagitare, vel interdum secreta quaedam, et sacra impudenter propalam effutire; unde suborta haud levia quandoque scandala, et contemptibiles populis ac odibiles pastores saepius effectos, experientia didici. Quibusdam insuper alicubi mos, multorum domi, nocturnis praesertim hybernis horis, excubias inire: quae sane etsi neque generatim laudabiles, neque tamen omnino vituperandae: tantum in eis modum delectumque, prudens rector, adhibeas, exoptare est. *Non habitabit in medio domus tuae qui facit superbiam, qui loquitur iniqua: oculi tui ad fideles terrae, ut sedeant tecum* (2); *hospitiolum tuum aut raro, aut numquam mulierum pedes terant* (3). Ceterum ne ludis, de quibus alibi, ne futilibus ac lubricis quandoque nugis atque fabellis terantur horae tibique vilescant, neve ullius fama verbositatis aestu periclitetur, et ne tandem ab honesto brevique levamine ad illicita pandantur diverticula viae (*F*), *exemplum esto fidelium in ver-*

(1) *Epist. ad Rustic.*
(2) *Psal.* 100. 6. 7.
(3) S. Hieron. *Loc. c.*

bo, *in conversatione*, *in charitate*, *in fide*, *in castitate* (1).

Siquando autem foris contigerit diversari, plura quidem suppetunt praecavenda. Non hic rudis quidam, silentio jugiter ac solitudine veluti profugus, oculisve in terram defixis fere misantropus quaeritur, qualem forte juvenculum rigidioris notae pastorem unum aut alterum novimus: sed humanum utique, comem, cunctisque amabilem, qui sereno vultu et suavi oris lenitate oves suas nominatim salutet, et affectum cordis in eas exterius quoque depromentem, profecto exquirimus atque admiramur. Modus nihilosecius re prudenter et loco adhibendus. Non ut tricis ac ludicris tempora moreris tua, obviam euntis eundum: non ut quid novi ac recentioris attulerint, quique forte inveniantur utcumque adloquendi: non prope omnes, eoque minus unam tantum, aliis posthabitis, frequentabere ac praediliges domum, ita ut fere quotidie personas personamve, vel nimiae urbanitatis gratia, aut conscientiae âlicujus dirigendae, sive rei aeconomicae curandae caussa, videas atque inscruteris. Etenim *inter saeculares nugae*, *in ore sacerdotis blasphemiae* (2); *quid tibi cum foemina*, *qui ad altare cum Domino fabularis* (3)? *Sic stulti estis*, *ut cum spiritu coeperitis*, *nunc carnè consummemini* (4)? *Procuratores et dispensatores domorum alienarum atque villarum quomodo possunt esse clerici*, *qui proprias jubentur contemnere facultates* (5)? Unum porro, quod innocuae, immo frugiferae admodum, studio consuetudinis frequentari au-

(1) 1. *Tim.* 4. 12.

(2) S. Bernard. *de considerat. lib.* 2.

(3) S. Hieron. *Epist. ad Ocean*,

(4) *Galat.* 3. 3.

(5) S. Hieron, *Epist. ad Nepot.*

gerique omnium exoptatur votis, *optimam* videlicet *ac pulcherrimam vitae suppellectilem* (1), sanctam individuamque pastorum cum suis aliisque presbyteris animi conjunctionem praeostendere atque commendare laetor ac gestio. Si enim *omnis vis amicitiae, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio, quae nisi in bonis esse non potest* (2), quidnam praestantius, aut sibi delectabilius perquirerent prorsus nescirem; quum ab parili ejusmodi familiaritate sodalium, et consonam morum conformationem, et doctrinae disciplinaeque unitatem, et praeclarum fidelibus virtutum exemplar, et primaevam plane fratrum, quorum unum erat cor et anima una (3), concordiam atque caritatem promanare, ac denuo efflorescere confidamus. Verumtamen ad ceteras Ecclesiae calamitates tantum et adhuc conquerimur accessisse malorum, ut inter Christi domesticos non modo rarum, sed aemulatione plerumque, obtrectationibus, jurgiisque probrosis dehonestatum, pretiosum ejusmodi pacis vinculum doleamus.

Sanctum denique, irreprehensibilem, divina Scripturarum oracula, juris praeceptiones, Patrum ac doctorum sententiae atque monita, omniumque vota fidelium, quemvis esse pastorem efflagitant exiguntque. Typice tantum in veteri lege sacerdotes constituti: et tamen sanctitate jubentur eminere prae ceteris: *incensum Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt* (4). Ad lucem vero quid umbrae, figurae ad veritatem, ad ipsam virtutem specimina referenda? Etenim qui *repente redditur praeceptor, praeses, doctor pietatis, mysteriorum la-*

(1) *Cic. de amic.*
(2) *Loc. c.*
(3) *Actu.* 4. 32.
(4) *Levit.* 21. 6.

tentium praesul, *licet nihil corpore vel forma mutatus*, *invisibili quadam vi ac gratia animam in melius transformatam gerit* (1). Duplex quippe in novi foederis sacerdotes sancti Spiritus operatio: *una quidem*, *qua nos primo intus virtutibus solidat ad salutem*, *altera vero*, *qua foris quoque muneribus ornat ad lucrum* (2); ut qui jam *sanctus*, *sanctificetur adhuc* (3), et qui alienae salutis opifex, huic impendenda quaestui, quinque talenta acceperit, totidem sibi potissimum, fidelis servus et prudens, superlucrari mereatur. Hinc jure dictum, quia paroecialibus muniis digne riteque obeundis *non sufficit bonitas qualiscumque*, *sed requiritur bonitas excellens*, *ut sicut illi*, *qui ordinem suscipiunt*, *super plebem constituuntur gradu ordinis*, *ita et superiores sint gradu sanctitatis* (4); tanta quinimo vitae sanctimonia præexigatur, ut *aliquando etiam bonus monachus vix bonum clericum faciat* (5) (*G*). Insuper non solum ex ministerio inchoatam, sed proeambulam utique ac consummatam virtutem apprime adstruunt necessariam: *status* namque *curatorum est status perfectionis non solum acquirendae*, *sed etiam exercendae* (6). Quamobrem et huic accedit altera, ut pastor nempe irreprehensibilis sit, simulque consociatur conditio; quam ex aurea et adhuc immaculata Ecclesiae disciplina expendens Hieronymus, *non quod*, inquit, *eo tantum tempore*, *quo ordinatus est*, *sine ullo sit crimine*, *et praeteritas maculas nova conversatione diluerit*, *sed quod ex eo tempore*, *quo*

(1) S. Greg. Nys. *Orat. in Bapt. Christ.*

(2) S. Bernard. *Serm.* 18. *in Cant.*

(3) Apocalyps. 22. 11.

(4) S. Thomas 3. *p. quaest.* 64 *art.* 6.

(5) S. Augustin. *Epist. ad Aurel.* 60., *seu* 76.

(6) Gerson. *de stat. Eccl. consid.* 5.

in Christum renatus est, *nulla peccati conscientia remordeatur* (1). Noverit igitur qui ab coelesti Patrefamilias domui praeficiatur suae, quem se esse oporteat ac deceat (*H*) : seque ad grandia in Ecclesia Dei praeelectum atque vocatum serio jugiter animo recolens, beatam hujuscemodi perfectionis metam alacri et infaticabili gressu pertingere connitatur.

Haec habui, vir clarissime, quae de paroeciali vita, brevi tibi excursu, concitoque calamo subjicerem, et quae ab scriptoribus fere innumeris, vel instituto vel data occasione, fusius elucubrata, ingentia, si forte congesta forent in unum, explerent volumina. Jam vero potiores ad optimam pastoris vitam caracteres ac veluti canones praesignantem, me plane ab iis amicum quodammodo affixisse nostrum, haud dubie te nosse puto. Sub quolibet namque virtutis aspectu animarum ducem, suis undecumque componendis moribus adlaborantem, considerarim, animo ille meo ac fere prae oculis obversabatur; quum in homine abstinentissimo omnimodam integerrimae vitae rationem et domi forisque in habitu sancto admirabilis ac prorsus irreprehensibilis conversatio probaret, et dignam personae gravitatem sobria pacataque suavis eloquii comitas ubique leniret, et venerabilem oris majestatem pudor eximius, ac *in ipso motu*, *gestu*, *incessu verecundia* (2) exornaret. Faxit pastorum princeps Dominus, ut ab eo subfecti populorum regimini, domestica et novissima quoque exempla sectantes, *Christi bonus odor* (3), mereantur *testimonium habere bonum ab iis*, *qui foris sunt* (4), et innovatum in eis spiritum sancti-

(1) *In c.* 1. *Epist. ad Tit.*

(2) S. Ambros. *lib.* 1. *Officior. c.* 8.

(3) 2. *Corinth.* 3. 15.

(4) 1. *Timoth.* 3. 7.

tatis cautissime totisque viribus custodientes „ acceptum a Deo seeundi meriti munus obtineant, censuramque morum excmplo suae conversationis insinuent: eluceat in eis totius forma justitiae, ut bonam rationem dispensationis sibi creditae reddituri, aeternae beatitudinis praemia consequantur „ (1).

(1) *Pontif. R. in Ordinat. Presbyt.*

ILLUSTRATIONES.

(*A*) PAR est non solum cogitationes moderari, sed etiam, quoad ejus fieri potest, a rerum consuetudine recedere, maxime earum, quae suo ad nos accessu libidinem nobis in memoriam revocantes, turbant ac confundunt mentem, bellaque et pugnas animo faciunt. Bellum enim quod invitis nobis accidit, sufferre plane necesse fuerit: sed spontaneum bellum sibi ciere est absurdissimum. In priora enim etiamsi quis superetur, forte veniam consequetur (absit tamen hoc a Christi athletis): at vero in altero si quis vincatur, praeterquamquod id admodum ridiculum est, praeterea venia caret. Itaque operae pretium est et mulierum colloquia et consuetudines quam maxime fugere, nisi inevitabilis quaedam necessitas, adigat ad colloquutionem. Quod si devenerimus ad hoc necessitatis, ab his tamquam ab igne cavendum est, et ab ipsis ocyssime et celerrime secedendum. Considera enim quid de ea re sapientia ipsa dicat: *alligabit quis ignem in sinu, vestes autem non comburet? aut ambulabit quis super carbones ignis, et pedes non comburet?* ec. S. Basilius M. *Constit. Ascet. cap.* 3.

Si aliqua necessitate evenerit, quae eas (mulieres) jubeat accedere, illae quidem exterius amictu pulcre tegantur, intus autem pudore. Clemens Alexandrin. *Pedagog. lib.* 2. *cap.* 6. Oculis maxime parcendum est, melius est labi pedibus quam oculis. *Ibid. cap.* 11.

Ne in sola inferiorum partium carnis libidine continentia necessaria videretur a Domino speranda, etiam in Psalmo canitur, *pone Domine custodiam ori meo, et ostium continentiae circum labia mea.* In hoc autem di-

vini eloquii testimonio, si os intelligamus, sicut intelligere debemus, ibi posita continentia quantum sit Dei munus agnoscimus. Parum est quippe os corporis continere, ne aliquid inde quod non expedit per sonum vocis erumpat. Intus enim est os cordis, ubi sibi custodiam et ostium continentiae poni desideravit a Domino, qui verba illa dixit, nobisque dicenda conscripsit. Multa enim corporis ore non dicimus, et corde clamamus; nullum autem procedit rei alicujus ex ore corporis verbum, cujus est in corde silentium. Inde igitur quod non emanat, foris non sonat: quod vero emanat inde, si malum est, etsi non moveat linguam inquinat animam. Ibi ergo ponenda est continentia ubi et tacentium loquitur conscientia. Fit enim per ostium continentiae, ut non inde exeat quod etiam clausis labiis carnis vitam polluat cogitantis. S. Augustinus *libro de Continentia cap.* 1. *ec. ec.*

(*B*) Cur vestimentis utamur, hac unica voce nobis Apostolus ostendit: habentes quibus tegamur, his contenti simus: tamquam videlicet tegumento solo opus habeamus, non item ut per varietatem ejusque elegantiae studium in interdictam luxuriam, ne quid dicam gravius, incidamus. Haec enim per inane minimeque necessarium artificium introducta sunt. Id quod aperte ostendit primus ille indumentorum usus, quem Deus indigentibus dedit. Etenim tunicas illis pelliceas fecit, et induit eos; ob obscoenas siquidem corporis partes obtegendas satis erat is tunicarum usus. At quoniam aliud quoque nobis in vestimentis proponitur, nempe ut eorum ope calorem contrahamus, idcirco utriusque rei perpensum et exploratum esse judicium debet, uti vestimenta, tum eas corporis partes in quibus minus honestatis inest, contegant, tum ad propulsandas aëris injurias nobis praesidio sint. — Sin

immoderatum circa ea studium sit, hoc ab avaritiae, aut libidinis, aut inanis gloriae morbo proficiscitur. S. Basilius M. *Regul. fus. dispos. art. 22.*

(C) Nescitis quantum donum silentium sit. Loquere vero, si quid silentio praestabilius habes. Sin autem amplectere silentium, ubi silere praestat quam loqui. — Injucunda piis est loquacitas, contentionesque verborum: nam satis superque est vel unus adversarius. — Immodicus sermo auribus inimicus est, haud secus atque immoderatus cibus corpori. S. Joannes Nazianz. *apud* S. Joan. Damasc. *in Sacr. Parall. tit.* 14. 15.

(D) Ne desideres, inquit Scriptura, *edulia divitum*: ea enim vitae non verae et turpi conjuncta sunt. Illi enim dant operam obsoniis quae fimus paulo post excipit; nobis autem cibum caelestem venantibus necesse est ventri, qui est sub caelo, imperare, et multo magis iis, quae ei amica et grata sunt, quae *Deus abolebit*, inquit Apostolus, voraces gulae cupiditates jure execrans.

(E) Escae enim ventri, ex quibus haec carnalis et exitialis vita dependet, quam audent nonnulli Agapen vocare, effraenata lingua utentes, nempe quaedam prandiola nidorem et jus redolentia: sacram Agapen, pulcrum ac salutare verbi opus, ollis nescio quibus, et liquido jure dedecorantes; potuque, deliciis, et fumo illud nomen probro afficientes, falluntur opinione, ut qui Dei promissum prandiolis se posse emere expectaverint. — Nec corporibus quidem natura insitum est, ut ex multiplici ciborum varietate juventur. Contra enim omnino qui escis utuntur vilissimis, sunt robustiores, saniores, et generosiores, ut famuli dominis, et agricolae possessoribus. — Non ferculorum apparatum tollimus, sed consuetudinis prolapsionem, tamquam calamitatem, suspectam

habemus. Quocirca vitandus est luxus; pauca quaedam et quae sunt necessaria sumenda sunt. — Sit autem nobis coena tenuis et expedita, apta ad vigilias, non permixta diversis saporibus ec. Clemens Alexandr. *Pedagog. Lib. II. cap. I.*

(*F*) Te potius ipsum quam propinquos excute:
Hoc tibi lucrum, proximis istud feret:
Probum esse praestat quam videri.
S. Gregor. Nazianzenus in *Tetrast.* 4. 24.

Exempla fuge eorum quorum vita condemnata est:
Occlude cera turpibus verbis tuas
Aures, sonisque cantuum mollissimis:
Pateant honestis semper at sermonibus.
Audire, fari, facere, non procul distant.
Praepone semper improbis probos viros:
Nam si frequens sis cum malis, eris malus.
Idem Nazianzenus in *Tetrast.* 17. *et* 48.

(*G*) Monacorum certamen ingens ac labor multus est. Verum si conferre quis velit instituti illius sudores cum recte administrato Sacerdotio, certe tantum esse inter illa duo discrimen comperit, quantum est inter privatum et regem intervallum. Chrysosthomus *de Sacerdotio lib. VI.*

(*H*) Lenitas mater est patientiae: et in iis qui vere mansueti sunt permista est etiam benignitas; etenim mansuetudinis materia benignitas est. Haec autem inter se conjuncta praestantissimam virtutum charitatem efficiunt. — Atqui res omnes, quas aggredimur praecedat fides in Deum, comiteturque spes bona, ut animae quidem vires fulciamus per fidem, per bonam vero spem reddamur

alacres ad bona. — Ad perfectum virtutis cumulum conjuncta simul esse utraque haec oportet, et humanum studium, et caeleste auxilium per fidem e supernis accersitum. — In omnibus autem quae recte a nobis fiunt, animus causas rectae actionis referat Domino acceptas, nihil omnino suis se viribus recte facere ratus. Ejusmodi enim affectus solet humilitatem in nobis ingenerare. Virtutum autem aerarium humilitas est. Haec tibi a nobis proponuntur ceu quaedam sermonum ad virtutem spectantium semina, tu vero his hinc acceptis, multiplicem nobis fructum profer, et exple hoc sapientiae dictum, quod sapientibus jubet, occasiones dari, ut sapientiores fiant. S. Basilius M. *Const. Ascet. cap. XIII. XV. XVI.*

Sacerdotis animum solaribus radiis puriorem esse oportet: ut ne quando spiritus Sanctus desolatum illum relinquat, utque dicere illi liceat *vivo equidem non amplius ego, vivit vero in me Christus.* Chrysosthom. *loc. c.*

EPISTOLA XVI.

Relaxandis animis oblectamenta.

Vereor, ne plurima vel ipso epistolae titulo omnium fere pastorum prosequar indignatione, laxioris aeque ac rigidioris vitae sectatoribus facturus nequaquam satis. Attamen, siquando lucubratiunculis hisce meis patientem admoventes auditum, aut saeculi adhuc inquinatos pulvere, etsi ad horam, in salutem contristavero, aut, anxios et pusillos corde in benigniorem conabor praeducere semitam, iterum iterumque gaudebo. Suave jugum Domini, et onus leve; spiritum atque terream interdum reficere sarcinam, ut ab requie aliquantula ad ministeria validius obeunda vineae Dominicae cultores valeant exsurgere, aequum ac elargitum; et chordam quandoque arcui laxandam, et honesto tantisper levamini indulgendum, ipse dilectus Christi Joannes verbis et exemplo praedocuit (1). Utinam vero, quae domesticis Dei innocuis primum in deliciis fuere, numquam fluentibus saeculis desuevissent, neve priscos mores, efferatis olim barbarorum flagitiis diu commaculatos, colluvies oblectaminum tanta respersisset, adeoque inmutasset, ut neque mirari de praeteritis, neque de præsentibus ingemiscere, neve deteriora metuere debuissemus! Abusus, qui jamdudum irrepserint, extrudere penitus, arduum plane fatendum est: hos proinde, morum veluti regulas, e consuetudine invectas, saepissime assumi, experti novimus. At nec frustra inclamant

(1) Euseb. *Hist. lib.* 5. *c.* 18. Cassidor. *Coll.* 24. *c.* 21.

jura, et modus in rebus certique servandi fines, et numquam satianda male feriatorum licentia undequaque coercenda est.

Gothos ac Langobardos, in sortem Domini tandem cooptatos, venatuum oblectamina, primum invexisse compertum est: ideoque nec nisi ad illorum usque tempora, deferre arma, venari, canes avesque alere, clericis vetitum (1). Quoniam vero hujuscemodi negotium in dies augeri ubique coeperit, oecumenicae sancitae leges, et paena suspensionis ferendae contumaces perculsi (2). Verumtamen ecquis sibi suadeat, ferrea quamvis aetatum depulsa rubigine, et mitioribus urbanisque moribus in tanta scientiarum luce undique conlustratis, istiusmodi tamen nugis, clericorum permultos, quodque dolendum magis e pastorum coetu, adhuc usque insanire? Enimvero, sacri quoque habitus exutis insignibus, armis ad instar satellitum instructos, agros cursitare, implicari saltibus, coeno sese in paludibus collinire, diemque plane perdere, adeo ut laxiores in sero reduces domum, divinas persolvere laudes, seu verius oscitantes negligentius deblaterare vix queant, passim videre est. Clamorosis, inquiunt perbelle, venatibus eatenus prohiberi, ut pericula ac damna, in quae capreolis aprisque circumveniendis saepissimae offenditur, extrudantur; ceterum, quolibet personae secluso discrimine, venationes quaeque immemorabili consuetudine cohonestari. Sed, an vere, armis paratae, canibus obstrepentibus, sociisque plerumque adhibitis, clamorosae nec ne sint dicendae, non mea re-

(1) Concil. *Epaonense* in Diec. *Bellicensi*, celebr. an. 517. *C.* 4. et Concil. *Cabilonense* celebr. an. 603. C. 9.

(2) *C. Quorumdam Dist.* 33. *et Cap.* 1. *de Cleric. venat.*

fert inquirere; unum profecto e tutissima ac perpetua Ecclesiae disciplina omnium ore fatendum, venatus quoscumque clericis antiquitus interdictos: itemque communi statuendum suffragio theologorum, venationes omnes, quae divino cultui, animarum curae, studiisque impendendas raptent horas, quae, in pauperes distribuenda, occasionem praebeant dilapidandi bona, et quae demum, nec sine aliquo scandalo, vel in legum contemptum, vel contumaciter peragantur, clericis esse posse laethales. Secus attamen dicendum, si gymnasticae alicujus ad curandam valetudinem necessitate, et innocuae recreationis gratia, raro et fere ad horam, festis diebus et esurialibus feriis exceptis, visco aut etiam sclopeto, brevi ambitu, aucupia atque venatus conficiantur, severioris quoque notae theologi censuerunt.

Communius idemque turpius e ludis oblectamentum exoriri, satis, præsul clarissime, nosti. Quandocumque rus adeas, sive in primorum aulas, sive in locupletiores inhabitantium domus, ac festis praesertim diebus, obvium illic, aleatorum turmis inmistos, et presbyteros, pastores quoque interdum reperire. Si qualibet paroeciae celebritate clero prandiola de more parentur, quae sobrias ac pudicas veterum agapas praesignantia, nonnisi sacra colloquutione immaculati Ecclesiae olim administri, aut lectione condiebant, non pium aliquem librum, sed chartas utique in quorumdam crumena facile adinvenias: epulisque vix expletis, et in mensam nummulariorum conversis, acrem adeo pugnam diurna certare manu, certare inspicias quoque nocturna, ut apposite dixeris, *sederunt manducare et bibere, et surrexerunt ludere* (1).

(1) *Exod.* 33. 6.

Parva haec plerisque, et multorum exemplo ingruente tolerabilia; at meminerint, obsecro, utraque jura semper et ubique locorum in aleatores exarsisse (1): nec voce absimili Patres atque doctores omnis aevi tonare; ac si cuique ex ludo, principaliter ad lucra peracto, impingitur culpa, et qui pravo detineantur ludendi habitu, a sacrorum participatione, donec resipiscant, omnino prohibendi (2), quo sese foedarint crimine, tum ob temporis, qua divina neglexerint, jacturam, tum maxime propter aequalium ac subditorum scandala, et cetera inde mala quae de more queant suboriri, dijudicent. Hinc veluti desides, insomnes, noxii, fraudolenti, crudeles, uno patrum ore aleatores damnati (3): hinc alearum ludus, tamquam omnis nequitiae seminarium, eliminandus et abjiciendus omnino est (4).

Porro, quoad cetera lusionum genera, personarum conditiones, temporis locique congruentiae, aliaeve circumstantiae spectandae sunt (5); itemque si ludentes, non ex consuetudine et tamquam instituto, verum et accidentaliter et raro, et honesta animi et corporis recreandi caussa, ludis dent operam, ut ab iis tantisper levaminis, omni secluso scandalo, comparare sibi queant, animadvertendum. Lusionibus enim, ab industria ac ingenio tantum, vel praecipue pendentibus, nec unquam lucratoriis, quas inter latrunculorum praecipue ludum, velut innoxium, adnumerarunt, temperanter quandoque

(1) Canonicas Civilesque leges cunctas in aleatores collegit Ang. Rocca in *Com. contr. lud. alearum.*

(2) S. Antonin. *Sum. P.* 2. *c.* 3. et *c.* 23. Concin. *de Just. et Jur. sect.* 6.

(3) S. Cyprian. *de aleat.* Chrysost. *hom.* 33. *in Evang. Joann.*

(4) Berti *de theol. disc. l.* 24. *c.* 13.

(5) S. Thom. 2. 2. *quaest.* 168.

indulgendum, probatissimi quique arbitrantur (1); quumque ipsis clericis „ si valetudinis interdum causa, parva pila, aut alio non indecoro ejusmodi exercitationis genere, uti contingerit, nec publice id fiat, nec pecunia intercedat in ludo „ castissimus praesul S. Carolus permittere non dubitarit (2).

Jam vero, an etiam illorum, quibus Dominici gregis cura est, audeant nonnulli, postremis praesertim bacchanaliorum orgiis (temporis flendi, quo depositis jucunditatis insignibus, suos ad poenitentiam fideles invitat Ecclesia, prorsus immemores) propinquas adire urbes, ut personis ac larvis et turbae lascivientium admisceantur, quo dicteriis, cachinnis, risuque soluto gestiant et insaniant, pudet inquirere. Itemque an alii fortassis, ut tumidi nescio cujus homunculi, ex illis nempe, quos canones praesignarunt τοὺς εὐνούχους ἐξ ἐπυρείας, seu vafrae mulierculae pellaci modulamine aut mimesi aures oculosve demulceant, mox presso itinere, profanis haud semel sistere scenis, vesanoque acclamatu theatro personante, ore, manu plaudere non erubescant, scire piget. Heu, *morum quanta labes, quae probrorum fomenta, quae alimenta vitiorum* (3)! Nefaria hujuscemodi oblectamenta quantum Christi domesticos inhonorent, omnibus apprime patet; et qua semet noxa polluant gravissima, ex jure universo et Patrum auctoritate hanc in rem a theologis praestantissimis (4) congesta atque consulenda, satis superque monebunt. Illae quidem, ne cetera ac singula

(1) Navarr. Panormit. aliique apud Roccam *loc. c.* Vida in *poemat. Scaccheid.*

(2) *Act. Eccl. Mediolan. p.* 15.

(3) S. Cyprian. *Epistol. ad Don. de theatr.*

(4) Bossuetius *de comoed.* Nat. Alexand. *lib.* 4. *in decalog.* Genettus *ad* 6. *praecept.* Chr. Lupus *ad C.* 62. *Trull.* aliique.

persequar, neve diutius in tanto immorari dedecore videamur, Etruriae nostrae Synodi enixe laudandae, quibus ejusmodi mimicis et choreis universis interessentes clerici latae sententiae suspensione plectuntur: et providissimi praesules, qui hujusce furfuris amentes notandos curent, et canonicis paenis severe coerceant, pari commendatione prosequendi (1).

Num vero e liberalium artium exercitatione, quippequae in deliciis haberi fere omnibus consuescant, integrum viris Dei jucundum sibi innocuumque oblectaminis genus capessere? Docente Ecclesiatico, non impediendam musicam (2), ausit nullus eam improbare: divino namque cultui suapte natura usuque dudum dicata, sacro digna homine sane dijudicanda. Verumtamen, quum praesertim de pastoribus rem habeamus, exscessus utcumque vitandus. Etenim si diutino labore adeo profecerit parochus, ut cymbalum pulsare atque organa non mediocriter calleat, et fidibus, tibiis, ceterisque, necnon et vocalibus quoque numeris praestet, improbum nihilominus idemque opus inutile aggressum puto. Numquam enim in propria Ecclesia aut aliena uti magisterio poterit suo: quum minores presbyteros sacris obeundis praeficere, ut e suggestu organicus, fidicen, cantorve habeatur, ideoque, ut accessoriis intendat, principem rem et locum negligere, inordinatum pastori atque indecorum. At nedum inutile, sed ceu probrosum interdum quoque succenseam. Quandoquidem namque, quod *psalleret elegantius quam necesse est brobae* feminae romanorum nobilissimae olim vitio tributum; deterius haud certe negem de homine Dei proferendum, qui vel domi, multis

(1) Lambertin. *Encycl.* 76. *t.* 2. (2) *Cap.* 32. 7.

coram saepissime, vel in procerum aulis rusticantium, academiâ quoque (uti eam tumentes vocitant musices enthusiastae) propalam obstrepente, theatrica dramata et amatorias cantiones, comicum prorsus mimumque ad stuporem agens, haud erubescat accinere, et libentius inducat animum cantare rogatus, et injussus numquam desistat. Quamobrem (cetera namque ab ejusmodi mundano pulvere sordescentia lubens volensque praeteream) et musicis, siquando libeat ac deceat, sed modeste, ac temperanter, nec ultra domesticos lares, animarum rector, indulgeas; ac si canendi voluptate capiaris, gravem venustamque musicen, quam divinis celebrandis mysteriis ab veterum instituto assa voce modulatur Ecclesia, ex officio, et voluntate bona ultro depereas. Hanc quippe celeberrimos sublimioris musicae magistros egomet audivi saepius enixis laudibus frequentare, ab eademque plurima et optima sibi nactos ad illustriora opera sua concinnanda, ingenue et glorianter profiteri. Haec sacerdotibus oblectamen castissimum atque decorum: haec assidue versanda, ut gnare et digne satis, adeo promantur verba Dei, quo fideles aedificentur: haec eosdem quoque docenda, ut omnes, ore uno, canentibus jungamur coelitibus, ac veluti almae Sionis aemulatores, glorificemus Patrem et Dominum.

Viderer sane ad propria descendere, si ab arte quoque pictorica honestam sibi oblectaminis caussam sacros dixerim administros depostulare. Verebar equidem, ne plerumque ridicula progymnasmata suboriantur; ars enim haud facilis, et diuturno conquirenda labore, qua ni templis decenter exornandis uti valeant, et nec nisi ad pietatem excitandam icones sacras exprimere queant, potius a penicillo abstinendum. Accedit insuper, tum ob stu-

dia praeambula, tum ob frequentiorem et manuum industria tritam in tabulis effingendis navandam operam, qua incoepta quaedam in actu explenda necessario ac consummanda, non levis ideo temporis jactura. Si quis vero naturali quolibet praeditus ad haec ingenio, quae facile primaeva aetate didicerit, emenso jam sacrorum stadio, resumat, paullulum ad tempus delineantem aut pingentem non improbaverim; quamvis et ipsae per sese innocuae exercitationes suis nihilosecius interdum scateant incommodis atque periclis, quae supervacaneum arbitror commemorare.

Rectorem quemdam, denudatis brachiis, sudore nimio respersum, crebris runcinae ductibus tignum cupidissime dolantem, mihi forte invisere contigit; quid istuc quaeso? admirans aio: ille vero, Paulum quoque, scenofactoria peritum arte, manu suis ministrasse. Equidem bene, si subsecivis horis industri manuum ope indigentibus tribuas; quum enim adhuc paupercula communi fidelium stipe Ecclesia substentaretur, nec inutile neque indecorum, hospitalis praesertim contubernii occasione, Apostolum Christi sutrinae pellium incubuisse: *quoniam*, ut ipsemet gloriatur, *ad ea quae mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istae: omnia ostendi vobis; quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos* (1). Verum posteaquam bona Ecclesiae dedita, ab eaque, ut honeste quis posset ducere vitam, opportune viritim distributa, fabrili cuilibet operi, etiamsi mercede obveniente pauperibus opituleris, horae nullatenus impendendae, quae sacris ministeriis nec absque piaculo subtrahantur. Qua de re, nisi ad necessariam utilemve cor-

(1) *Act.* 21. 34. 35.

39

poris exercitationem juxta locorum, temporumque congruentias, peragantur, de illiberalibus quoque artibus, quae sacros vere deceant ministros, eadem fere quae superius dixerim velis.

Socordem prorsus et miserandum, qui nugis ejusmodi tempora moretur sua, et inanibus hisce delectatiunculis vere animum jucundari arbitretur *(D)*! Etenim hac ideo in terra, non equidem deliciarum, sed discriminum, sed vanitatum loco, brevissimo detinemur exilio, ut irrequietum cor nostrum ad usque sua, vera securaque, gaudia recte componere festinemus; nos autem regali sacerdotio donati, et magni Patrisfamilias gerentes vicem, nulla sane oblectamenta, quae verius *afflictio spiritus* (1) nuncupantur, superesse nobis ultro fateremur, siquando ad labores, ad certamina, ad fletus, ad aerumnas vocatos esse meditaturi, sanctorum, qui mundum suaque omnia perosi, requiei nil unquam sibi indulxere, vestigiis inhaerentes, nimium risus pretium esse, si virtutis impendio constet, recordaremur. Caussam fortasse quaerimus, cur ludicrae vanaeque delectationes avidius appetantur? Eadem in promptu est: desidia nempe quaedam, qua orationis praesidiis, pietatis operibus, studiisque posthabitis, animum torpescere adeo ac habetari [illegible]cessum est, ut aliena forinsecus ad tantum quomodocumque vacuum reficiendum cupide quaeritentur. Qu[illegible] immo interdum res eousque perducta, ut, dictu in[illegible]dibile! *qui propter desidiam in otio vivant, tamen in* [illegible]*pi inertia capiant voluptatem* (2). Hinc domisedos q[illegible]dam somno inexplebili de more indulgere: de long[illegible]

(1) *Eccle.* 1. 14.

(2) Cicer. *de leg. agr. Rull.*

bus diebus indesinenter oscitantes conqueri: tardo gressu, quo forte pedes praeducant, quavis hora deambulare: ex una domum alteram, ut omnimode illudant tempori, et de quibuscumque deblaterandis occasionem arripiant, videre est permeare; ac quae proinde scandala interdum, malaque suboriantur lacrymabili passim experientia omnibus prolixe patet. Eja, age, qui vineae Domini colendae praeficiaris: exigua plane tibi, si volenti pioque animo diligenter officio fungaris tuo, momenta supersunt: haec tibi sint, ut aliquantula, prudenter, honeste, sobrie, oblectatione reficiaris. Verumtamen id, quotquot estis pastores cuncti, sollerti cura praestare valeatis, ut Dominum JESUM vere induamini, qui *dum in terris visus est, et quamdiu cum hominibus conversatus est, non stetit, sed pertransiit benefaciendo* (1), ut tandem ab eo *solicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes* (2), quacumque hora inveniamini.

(1) S. Bernard. *Epist.* 25. (2) *Rom.* 12. 11.

ILLUSTRATIONES.

(*A*) Prohibendus est tesserarum ludus, et ex talorum ludo lucri aditum, quod nonnulli acriter sequuntur. Talium illis otiosis oblectaminum suppeditandorum in causa enim est desidies. Amant inania qui sunt a veritate sejuncti : neque enim aliter possunt recreare animum absque damno. Clemens Alexandr. in *Paedag. lib. III. cap. II.*

Super Aleae tabulam diabolus praesto est: illic perfidia, et falsa testimonia, et venale perjurium, et colloquium serpentinum: illic rabiosa amicitia, illic convicia, et audacia saeva, et mens insana, et fera impatientia. S. Cyprianus, *vel quivis auctor de ludo inter opera Cyprianica.*

(*B*) Ne tibi studio et cordi sit theatri insania, ubi conspicias mimorum petulantias omni contumelia et dedecore abundantes, atque effeminatorum virorum furore et amentia plenas saltationes. Haec enim omnia diaboli pompae sunt. S. Cyrill. Hierosol. *Cathec. mystag.* 1. *n.* 6.

Propter unum nescio quem nec virum nec feminam commovetur civitas tota, ut desaltentur fabulosae antiquitatum libidines. Ita amatur quidquid non licet, ut quae etiam aetas absconderat, sub oculorum memoriam reducantur. Non est libidini satis malis suis uti praesentibus, nisi suum de spectaculo faciat in quo etiam superior aetas erraverat. Non licet adesse christianis fidelibus, non licet omnino, nec illis, quos ad delinimenta aurium ad omnes ubique Graecia instructos suis vanis artibus mittit. S. Cyprianus *de Spectaculis*; *tractatulus, ab aliquibus, sed minus probabiliter, Tertulliano tributus.*

Nec inconcinne theatra *pestium cathedram* quis vocaverit: nam hic quoque scelestum est *consilium*, quemadmodum adversus justum et ideo maledictis devovetur, quae adversus eum fit congregatio. Magna quippe confusione et iniquitate hi coetus pleni sunt, et occasio conventus causa est turpitudinis, cum viri et feminae mixtim conveniant alter ad alterius spectaculum. Hic perperam jam agitur concilium. Dum enim lasciviunt oculi, calescunt appetitiones, et oculi per otium ibi concessum proximos impudentius respicere assuefacti, intendunt cupiditates. Prohibeantur ergo spectacula et aeroamata, quae scurrilitate ac vaniloquentia plena sunt. Quod enim turpe factum non ostenditur in theatris? quod autem verbum impudens non proferunt, qui risum movent, scurrae et histriones? qui autem ex vitio, quod in se est, delectationem aliquam perceperunt, evidentes domi imagines imprimunt. Contra vero qui nequeunt his affici ac demulceri, in ignavas voluptates non prolabentur. Si dixerit enim, pro ludo assumi spectacula ad recreandos animos, respondimus non sapere civitates, quae seriam ludis operam dant. Neque enim ludus est saeva gloriae cupiditas, quae tot mortes infert: sed vana studia et rationis expers ambitio, et praeterea suarum facultatum impensae; neque inde quae his de caussis excitantur incommoda amplius ludi sunt. Vano studio numquam emendum est otium. Clemens Alexandr. *Paedag. Lib. III. Cap. II.*

(C) Si qui risum movent sunt exterminandi a nostra republica, longe absit, ut nobis permittamus risum movere. Absurdum enim est, quorum auditores esse prohibitum est, esse eorum imitatores; multo autem est absurdius studere ut sis ipse ridiculus, hoc est, probris in-

cessendus et irridendus. Si enim nemo e nobis ridiculam figuram suscipere, quemadmodum in pompis videmus nonnullos, sustinuerit, quomodo internum hominem magis ridiculam sustinere figuram jure passi fuerimus, idque palam? Quare nusquam sponte ridiculam debemus assumere personam; et quomodo in verbis esse et videri ridiculi operam dabimus, id quod est omnium quae sunt in homine longe pretiosissimum, nempe sermonem, ludibrio habentes? Ridiculum est ergo haec exercere, quandoquidem nec hujusmodi ridiculorum hominum sermo dignus est qui audiatur: cum per ipsa nomina ad turpia facta consuefaciat. Urbane ergo et lepide loquendum est, non autem risus movendus. Quinetiam ipse risus est comprimendus; nam ipse quoque, si quomodo deceat proferatur, præsefert decorem et honestatem: sin aliter prodeat, indicat intemperantiam. Nam, ut semel dicam, quaecumque sunt naturalia hominibus, ea ab illis minime tollenda sunt, sed eis potius modus et tempus conveniens est adhibendum. Etenim non quoniam homo est animal facultate ridendi praeditus, ideo perpetuo ridendum est, quandoquidem nec equus, cujus est proprius hinnitus, semper hinnit; sed tamquam animalia ratione praedita, oportet nos apte componere ut gravitatis severitatem nostrae, nimiumque intensam vehementiam concinne remittamus, non vero inconcinne dissolvamus. Quae enim decora vultus remissio, sicuti musici alicujus instrumenti fit per harmoniam, appellata est graece μειδιαμα; ita et in vultu modestorum hominum, quae est diffusio, risus dicitur. Immoderata autem et inconcinna vultus dissolutio, si sit in mulieribus, appellatur κιχλισμος, is est risus meretricius, si vero in viris καγχασμος, est is risus insolens

et protervus ac procis conveniens. *Stultus in risu extollit vocem suam*, inquit Scriptura: *vir autem astutus vix sensim subridebit* ec. ec. *Idem Pater loc. c. lib. II. cap.* 5.

(D) In tantas nugas et turpitudines mersi sumus, ut cum interrogati quid sit melius, verum an falsum, ore uno respondeamus, verum esse melius: jocis et ludis tamen, ubi nos utique non vera, sed ficta delectant, multo propensius quam praeceptis ipsius veritatis haereamus. Ita nostro judicio et ore punimur, aliud ratione approbantes, aliud vanitate sectantes. Tamdiu autem est ludicrum et joculare aliquid, quamdiu novimus, in cujus veri comparatione rideatur. Sed diligendo talia excidimus a vero, et non jam invenimus quarum rerum imitamenta sint, quibus tamquam primis pulcris inhiamus: et ab eis recedentes amplexamur nostra phantasmata. Nam redeuntibus nobis ad investigandam veritatem, ipsa in itinere occurrunt, et nos transire non sinunt, nullis viribus, sed magnis insidiis latrocinantia, non intelligentibus quam late pateat quod dictum est: *cavete a simulacris*. S. Augustinus *de vera religione Cap. XLIX. num.* 95.

EPISTOLA XVII.

Domus Dei nitor et cultus.

Magnae quidem admirationis undique praebetur caussa cuique consideranti quae in peregrinatione filiorum Israel ad construendum sibi tabernaculum sanctuarii Moysi praeceperit Dominus. Multiplici enim aeque ac pretiosa materie singillatim praeordinata, Beseleel atque Ooliab novimus operi divinitus praefectos; quos idcirco *spiritu Dei*, *sapientia*, *et intelligentia*, *et scientia repletos* (1) Scriptura testatur; quum vero sacerdotalium indumentorum praecipua designarentur, *vestem sanctam Aaron in gloriam et decorem* (2) legimus constitutam. Hinc ab Salomone aedificatum, restitutumque a Zorobabele, mirabile opificium, ritibus, caeremoniis, omnique sumtuoso apparatu templum ubique terrarum percelebre. Atqui haec in typum futurorum, prorsus jubente Deo, praesignata, ut luci umbrae, figurae veritati locum praeparare viderentur. Eodem plane ducta spiritu, sacris aedibus magnificentius excitandis, omnique exornandis cultu, jure meritoque Ecclesia Christi ubivis ac semper incubuit, ut et Deo debitus honor dicetur, et ab exteriori quoque ad spiritale aedificium fideles pertingere facilius queant, et quasi a terrenis ad coelestia levari (*A*): quicquid probroso superstitionis dicterio usquequaque irrideant novatores, et plura nostratium quidam, obcaecato nisu ad

(1) *Exod.* 31. 3. (2) *Loc. c.* 28. 2.

alia, si datum fuisset, properante, ejusmodi cultui extenuando tollendoque moliri nuper haud veriti. Equidem *in spiritu et veritate* (1) ab novae adoptionis filiis adorandus Deus: at hominibus cunctis sensuum ope quoquo modo subveniendum; *domum Dei decet sanctitudo* (2)? at uni viro Christo adstet utique sponsa *in vestitu deaurato*, *circumdata varietate* (3).

Fatendum sane, Christiana veritate ubique terrarum dudum effusa, innumeras prope sacras aedes constructas, inter quas, prae locorum et incolarum circumstantiis, vix pleraeque, ruri praesertim, relligionis majestatem praeseferant. At neque aedificiorum magnificentiam ac venustatem ubicumque requirimus. Esto, eorum quamplurima, e patronorum vel culpabili incuria, aut interdum insufficientia, plebisque rectorumque egestate non posse in melius exsurgere: verum quantumvis paupercula atque inornata, munda saltem ac nitida omnium votis templa sancta exoptantur. Quasdam revera ecclesias invisenti moveri plerumque stomacho necessum est; sordidas quandoque erosasque parietes, tignaque riguis pluviarum pulsibus fatiscentia, et aranearum telis obruta, tenebrata, aras iconesque sacras, candelabra, linteamina, cetera demum id genus ad rem divinam, occalescenti pulvere, faeculisque obesa cereorum atque faedata, ut vere dixeris, *mensa Domini despecta est* (4). Quid, si sacrarium inspicias? erunt quidem novissima pejora prioribus, adeo ut quod re humile ac parvulum, intollerabili rectorum quorumdam ignavia, despicabile magis atque obsoletum sordescere videatur. At noverint, quaeso, quod ore uno

(1) *Joan.* 4. 23.
(2) *Psal.* 92. 5.
(3) *Psal.* 44. 10.
(4) *Malach.* 1. 7.

adfirmant theologi, *culpae* nempe *lethalis reos fieri*, *nedum illos, ad quos pertinet sacrorum vasorum ac supellectilium cura, sed eos etiam, qui cum ornatu sacerdotali notabiliter immundo et lacero Missas celebrant*: *venialis autem si ornatus ipse non sit adeo immundus et lacerus* (1). Verum enimvero una cunctorum omnis aevi illustriorum praesulum cura haec singularis ac laus praecipua celebratur, domus Dei decorem dilexisse, et in tenui quoque nitorem ordinemque pulcherrimum qua datum ope ac diligentia praestitisse. Inclytus martyr Cyprianus, inter multiplices Episcopatus solicitudines, nec insecutorum minis deterritus, neque ab conscribendis omni refertis doctrina voluminibus distentus, viliora quaeque haud dedignatus munia subire, laetanter saepe conspiciebatur teste Nazianzeno, *templum everrens et purgans* (2). Sed neque aetate etiam hac nostra hujusmodi exempla desiderari, plurimorum admonent testimonia, inter quae de amico nostro, quem nuper amissimus, ingrato nec patiar aliquid praeteriri silentio. Is enim, sicuti de Nepotiano suo memoriae Hieronymus prodidit, *erat sollicitus si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si sacrarium mundum, si vasa luculenta*: *ubicumque eum quaereres, in ecclesia invenires* (3). Ipsum egomet, haud multis ante ejus obitum mensibus, in ecclesiae suae sacrario deprehendi, vetulae cujusdam casulae suturas, flexis genibus, infirma jam corporis valetudine, sarcientem: mihique quid tanti desuetam scissamque fecisse interroganti, modeste subridens respondit, nequaquam supervacaneum, ex omnibus quae ad sponsam attinent, etiam in cilicio munditiem quaerere.

(1) De Albertis *Tract. de sacr. utens. p.* 145. *Rom.* 1783.

(2) *Orat.* 1.

(3) *Epist.* 3. *da Eliodor.*

Hinc, qui piorum stipe conlata, suisque potius, si forte datum, impensis ac parsimoniis, vel templis, vetustate dilapsis, reaedificandis, vel ipsis in splendidiorem cultum omnimode coaptandis adlaborarint, summopere quidem commendandi pastores: *sponsa est, studete ornatui* (1). Etenim fidelium mentes per visibilia relligionis et pietatis signa ad rerum altissimarum considerationem, atque e terrestri ad coelestem Jerusalem contemplandam optandamque facilius excitantur. Par autem eorum laus, qui titularibus aliisve solemnioribus festis diebus diligentiorem dent operam, ut apposite, concinne, eleganter in templo cuncta nitescant; quum *festiva devotio in ecclesiasticis pietatis insigne* (2), et tamquam speciali immaculati ministerii nota commemorandum Hieronymus praedicet, *qui basilicas diversis floribus et arborum comis adumbrarit, ut quidquid placeat in ecclesia, tam dispositione, quam visu, praesbyteri laborem et studium testetur* (3). In quo pariter, ne excessus superabundet in re, neve deterior caussa subrepat, semper et ubique cavendum est. Interdum enim tam sumtuoso in quibusdam sacris aediculis apparatu triennales aut extra ordinem instaurantur celebritates, ut principum certatim basilicarum solemnitatibus aequiparari videantur. Quod plane in aliquibus potissimum sodalitiis videre est, quorum confratres ab eo longe distare spiritu, quo majorum pietas ac devotio eadem erexerat et frequentarat, necessum fateri. Equidem adeo voluptuosa saecularique supellectile templa exornari, seu potius dehonestari, contingit, proinde

(1) S. Bernard. *Serm.* 26. *in Cantic.*

(2) Rupert. *Lib.* 2. *de div. Offic. c.* 23.

(3) *Loc. c.*

ac si profana ad ludicras choreas pararentur theatra (*B*): fasciculis insuper florum, dulciariis paniculis, variisque praelo cusis poëmatis, cupidi aliquando quaestus, turpiori caussa quandoque deditis, sclopetis, candiculis, mortariolis, undique, et cominus, temere obstrepentibus, factiosorum quorumdam studio, seu verius procacitate, perturbari cuncta et misceri, haud sine indignatione ac rubore, passim conspicimus, ut baccanaliis potius, quam sacris devotioni excitandae festa ejusmodi comparanda videantur. Ast, quantum in rebus inane, unoque dicam verbo, nugae, nugae, liroe, liroe! Mirum itaque, si exteriori tantum futilique pompa praeoccupatis atque adlectis, purior ac sanctior fidelibus intentio deerit, nullos ideoque ab tot solicitudinibus ac impensis fructus ad bonam animae frugem plerumque consequi mereantur? Utinam imo haud verendum foret, ne super hujuscemodi labiis tenus sterilique manu obsequium sese praestare putantes Deo, ejus per Malachiam minitata vere adimpleantur: *ecce ego projiciam, et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum* (1).

Viderint ergo ecclesiarum rectores, quantum ad utiliorem verioremque cultus rationem verbo exemploque suo gregem intererit informare: sibique hoc unum praefigere satagant, ut ex cunctis, quae ad exteriora relligionis pertinent, quicquid mundana redoleat, extrudatur, et recta, qua par est, intentione ac pietate honos debitus praestetur Deo, idque pariter ad animarum usque salutem et Ecclesiae aedificationem proficiat (*C*). Haec autem facilius adsecuturos confidimus, si omnem ab assuetis normam plebs devota utcumque didicerit, atque ex

(1) *Cap.* 2. *n.* 3.

intemerata Ecclesiae disciplina cuncta firmius teneantur, et quaecumque vel in minimis novitatem aliquomodo sapiant, toto respuantur annisu. In omnibus vero quaedam gravitas apprime exquirenda est: nam *exterioribus ritibus commendatur divinorum mysteriorum majestas* (1); perspicua itemque exoptanda simplicitas, ne pluribus fortasse distracti fideles, nimium sensibilibus inhaerentes, aberrent a spiritu, et veritate. Ad rem insuper lythurgicam nitidus quidam ordo praecipuus adhibendus, quo sancta mysteria ceterique ritus ab administris cunctis pacate, adamussim, devotissime perficiantur. Nil enim turpius, quam in mediis agendis sacris unum et alterum quid sibi sciscitari, et aliquando prorsus haerere, ac credentia imparata quaedam ad opportunitatem deesse, quaedam praeter fas et momentum aut omitti aut temere fieri, ex quo perturbationem ministrantium et confusionem, ac invisentium despectum risumve suboriri quandoque conspicimus. Quamobrem enixis gratulandi votis pastorum plurimi, qui sacra quaeque peracturi, priusquam e sacrario progrediantur, cuncta diligentius ad rem necessaria disponere, de propriis gerendis officiis inservientes viritim haud negligant admonere, quique, minoribus presbyteris ruri plerumque deentibus, aliquot bonae indolis laicorum pios opportune ac patienti animo instruere, erudire non dedignentur, ut apte atque humiliter ad ministeria sancta exerceantur et convalescant; quum plures quoque villicorum noverim, qui experta adeo devotaque ratione paroeciis de more inservierint, ut ecclesiasticorum facile quosdam pudore afficere posse non dubitarim.

(1) Concil. Trident. *Sess.* 22. *c.* 5.

Unum profecto est, quod et veteris typi honestasse dignitatem, et novi foederis veritatem novimus exornare. Serio diuque actum in Synodo Tridentina de musicis ad sacram omnino lythurgiam prohibendis! jamque, narrante Pallavicinio, eam ad rem extenso decreto, mox vero, quibus ab caussis incompertum nobis, moderato, ab ecclesiis musicas eas, ubi sive organo, sive cantu, lascivum aut impurum aliquid miscetur, arcere jussum (1). Equidem sacrosancto Concilio aetate praesertim hac nostra minime obtemperatum; quapropter sacrorum relligio non mediocre plane lucrum factura, si musicae ejusmodi, quibus templa Dei prophanis garrulisque theatris aequiparata passim compellimur erubescere, penitus interdicerentur. Gravem autem, et sacris inhaerentem rhythmis, qualem in Pisana basilica e celeberrimo Clario nostro dudum habuimus, ecclesiasticam reapse musicen sinamus adhuc in Dei gloriam libentius adlaborare, eâque cathedralium illustriores, super quas custodes positi, qui die ac nocte non tacebunt laudare nomem Domini, in sono tubae, in psalterio et cithara, in tympano et choro, in chordis et organo, in cymbalis jubilationis reboent jugiter, omnis spiritus laudet Dominum. Verum in nostris, ruralibus praecipue, paroeciis, decori et consoni cantus illi haud unquam commendandi satis, quos ab suis fere incunabulis assa voce modulatur Ecclesia: quorum sancta et primula rudimenta et Ambrosium, et magnum Gregorium in melius coaptasse, et Guidonem Arretinum, aliosve, optimam fere absolutamque facultatem adeo perfecisse, memoriae proditum, ut praeter ea, quae in usuariis gradualibus, ac manualibus, ceterisque vetu-

(1) *Sess. 22. decr. de observ. in cel. Mis.*

starum Basilicarum prostant codicibus, nihil ulterius vel ad quotidianas psallendi normas desiderari videatur. Hanc jure pastoribus cunctisque presbyteris sacram melodiam funditus ediscere jussum: haec iis semper et ubique exercitatio castissima atque decora: haec assidue docenda fidelibus, ut omnes ore uno digne et laudabiliter glorificemus Patrem et Dominum (*D*). Absit vero, ne recentioribus modulis profana quadam, hilari, et vaga cantilena phaleratis, quos *figuratos et fractos* appellitant, et scioli quipiam praeter fas, ac turpis lucri quandoque gratia invexere, et *amplificaverunt psallentes* (1), quia nec vere musicos, nec rhythmos ecclesiasticos referant, horum pacata et gravisona majestas ac ordo pulcherrimus invertatur atque vilescat. Fit enim saepius, ut si juvenculus presbyterorum unus aut alter hujusmodi notulas in choris instauret, seniores ac ceteri, qui cantus tantum ecclesiastici gnari, numerulis hujus furfuris (tempus ad meliora redimentes) haud assueti, vel incompte concinentes dissona confusione cuncta permisceant, aut caesim et submissim adigantur accinere, vel tacére, ideoque a pluribus de populo rudibus de culpabili quoque ignorantia saepius insimulentur. Quoniam vero *nisi distinctionem sonituum, dederint, quomodo scietur id, quod canitur* (2)? *et sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant quae leguntur* (3), nova haec modulamina prorsus abjicienda fore vel ex eo quoque patet, quod ex difficilibus ejusmodi tricis fideles cuncti, qui perpetua Ecclesiae disciplina canenti clero junguntur, ab uberrima et salutari hac participatione avertantur, et usquequaque

(1) *Eccli.* 50. 20.
(2) *Corinth.* 1. 14. 7.
(3) S. Hieron. *Epist. ad Ephes.* 5. 19.

oscitantes, taedio de quibus ignorant affecti, sacra longius protrahi conquerantur. Quapropter quum et singulis plerumque festis diebus missae ac vesperae solemnes in ruralibus etiam paroeciis de more celebrentur, ut fere semper eadem et captu quidem faciliora instaurentur cantica, quae plebs Christi se quoque scire et psallere congaudeat, consulimus et obsecramus. Consonam quippe atque vulgarem psallendi consuetudinem Patres unanimiter commendant, et plurimum instituti hujusce utilitatem facit Augustinus, praesertim si cantetur *liquida et convenientissima modulatione*, qualem ait placuisse Athanasio (1). In psalmis autem decantandis praecipua ac solers a rectoribus danda opera est, ut convenienter, composite, distincteque modulentur, quo, etiam qui literas nesciant, ipsos memoriae facilius mandare queant, atque, selectioribus quae ad Christi revelationem, quae ad mores, quae ad paenas et praemia, ex divinis hisce canticis uberrime prostant, opportune quandoque in cathechesi explanatis, omnes pariter unanimi psallant non modo voce, sed etiam *psallant spiritu*, *psallant et mente* (2); quo super negotio luculentum disertisssimi Ambrosii testimonium liceat exscribere „. Psalmus benedictio populi est, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiae, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis laetitia, clamor jucunditatis, laetitiae resultatio. Ab iracundia mitigat, a sollicitudine abdicat, a maerore allevat. Nocturna arma, diurna magisteria: scutum in timore, festum in sanctitate; imago tranquillitatis, pignus pacis

(1) *Confes. lib.* 10. *c.* 33. Vid. etiam ejus *Epist. ad Januar. c.* 18.

(2) 1. *Corinth.* 14. 15.

atque concordiae, citharae modo ex diversis et disparibus vocibus unam exprimens cantilenam. Diei ortus psalmum resultat, psalmum resonat occasus. Mulieres Apostolus in Ecclesia tacere jubet: psalmum etiam bene clamant; hic omni dulcis aetati, hic utrique aptus est sexui. Hunc senes rigore senectutis deposito canunt, hunc veterani tristes in cordis sui jucunditate respondent, hunc juvenes sine invidia cantant lasciviae, hunc adolescentes sine lubricae aetatis periculo et tenamento concinunt voluptatis, juvenculae ipsae sine dispendio matrimonialis psallunt pudoris, puellulae sine prolapsione verecundiae cum sobrietate gravitatis hymnum Deo, inflexae vocis suavitate modulantur. Hunc tenera gestit pueritia, hunc meditari gaudet infantia, quae alia declinat ediscere. Ludus quidem est iste doctrinae majoris profectus, quam cum seria traditur disciplina. Quantum laboratur in Ecclesia ut fiat silentium, cum lectiones leguntur? Si unus loquatur, obstrepunt universi; cum psalmus legitur, ipse sibi est effector silentii; omnes loquuntur, et nullus obstrepit. . . . Magnum plane unitatis vinculum, in unum chorum totius numerum plebis coire! „ (1). Hinc facile colligimus, veteri ac perpetuae consentaneum maxime disciplinae, cantiunculis quibusdam et e sacra praesertim psalmodia paraphrasibus, vernaculis versiculis breviter et concinne exaratis, in paroeciis opportune concinendis, cunctos praeoccupare fideles, quod jusserat Paulus, *implemini Spiritu sancto*, *loquentes vobismetipsis in*

(1) S. Ambros. *Oper. Tom.* 2. *Venet.* 1748. *Praef. in enarrat. Psalm. edit.*

psalmis , et hymnis , et canticis spiritualibus , cantantes , et psallentes in cordibus vestris Domino (1).

Ad exterioris insuper cultus congruam rectamque conformitatem, siquando pastores quaedam extemplo festinent inmutare, eorum profecto sollertia omnis itemque cautissima evocanda prudentia est. Ex habitudinum namque complexu hominem plerumque novimus resultare; atqui eumdem praesumere in fere novum confestim veluti refundere, inutile prorsus, et aliquando periculosius, vel quotidianis instruimur exemplis. Haec plane diffidentiae ac turbis fomenta: ita plane animosiori quandoque certamini in medio grege pacis et veritatis praecones panderent viam; neque hac sane ratione, ab quo pastores moveantur, Spiritum Dei agere perspicuum est. Infelix lolium ab optimo semine, eradicandum utique: externa pietatis opera, quae ab lege praeceptis direote opponantur, quae superstitionem quoquo modo redoleant, tollenda quidem, at certe circumspecto ubique moderamine, paulatim, opportune, leni blandoque medelae salutaris usu ac praesidio. Equidem pravi cupidinum fomites, quaeque flagitiorum incitabula, opportune, importune omnino coarguenda, increpanda: quae vero ad fidem ac pietatem excitandam fovendamque aliquo modo praestare videantur, rectificanda prorsus, sed asservanda pro viribus atque tuenda. Quamobrem nullam rectoribus rationem suppetere arbitramur, cur devotas quasdam inolitas jam et dilectas vel adspernari exercitationes, vel irridere, vel penitus eliminare integrum sibi esse confidant; quinimmo arctiorem eis obligationem existimamus inesse, de veriori et aequissimo earumdem pietatis ope-

(1) *Ephes.* 5. 18. 19.

rum valore concreditum sibi populum recte sapienterque docere. Absit idcirco, ne in vetustiores, haud quamvis speciosas, excelsae coelorum Reginae, Sanctorumque icones quae jamdudum obtinuerint, venerationi externoque cultui quicquam detractum velint; imprudenti enim hocce consilio faciliora profecto ad pietatem spemque populorum adminicula tollerentur. *Rationalem animam, insertam corpori, corporalibus imaginibus ad rerum spiritualium intelligentiam elevari* (1), satis superque compertum: ideoque in rudibus praecipue animis istiusmodi, quin potius eidem perperam succenseatur, excolenda devotio est jucunda prorsus atque utilissima; sed rite ac dilucide simul plebs edocenda fidelium, nil ejusmodi simulacra sibi, nisi fidei veluti tesseram, atque ad rem signa tantum praeferre: haec, utpotequae relate ad objectum cui referantur, protestativa, ita fore distinguenda, quemadmodum cultum, qui latreutico ritu in spiritu et veritate uni debetur Deo, ab externo creaturis praestando oportet probe discernere: atque demum, in beatissimae Deiparae Virginis, Sanctorumque honorandis imaginibus, quod etiam ád pretiosas eorumdem reliquias, sacraque lipsana pari ratione referendum, omnis ejusmodi devotio ad hunc praesertim intendat finem ac voluntatem apprime necessum, ut scilicet ipsorum non solum enixis votis et laudibus memoria, seu potius Deus in electis suis mirabilis concelebretur, sed ut maxime illorum virtutes imitari studeamus, quo et ipsi meritis precibusque suis, quae ad salutem videantur necessaria, nobis obtinenda, facilius excitentur.

(1) Chrysosthom. *Hom.* 25. *in Matth.*

Ceterum, si quoad ejus facere possint, nitorem domus Dei cultumque promovere satagant pastores, ad puriorem verioremque finem, cui tantum referenda, ad divinam nempe gloriam animarumque sanctificationem, intentionem perpetim dirigere studeant ac elevare. Vae illi, qui circa exteriorem cultum sibi putet affatim adlaborandum, ut proinde, secretioris stultaeque actus ambitionis aestu, transitorias sibi aucupet laudationes hominum promereri; id sane, quae non sua quaerere, et gloriam, quam zelotes aemulator Dominus (1) alteri non dabit (2), audentius usurpare. Meminerit, quaeso, quia terra quam calceato incogitanter comprimit pede, sancta est, ac terribilis locus iste, et Nadab et Abiud, profano ausos igne litare coelestibus flammis absumptos. Parum exinde ab externis quantàvis relligione refertis populos allici, nisi haec eadem, laudabilia prorsus et necessaria, ad usque vere templa viventia Dei efficiendas animas valeant pertingere. Haec gregis Christi praefectis innocua voluntas curaque maxima, proinde ut eorum sponsam re vera dixerint et domum Dei et portam coeli, et pretiosam illam confidant merito retributionem accipere quam iis pollicitam noverint, qui *exaltaverunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam* (3).

(1) *Exod.* 34. 14.
(2) *Isa.* 48. 11.
(3) *Eccli* 49. 14.

ILLUSTRATIONES.

(*A*) Sicut interiores actus pertinent ad cor; ita exteriores actus pertinent ad membra carnis. Ergo videtur quod Deus sit colendus non solum interioribus actibus, sed etiam exterioribus. Unde dicendum, quod Deo reverentiam et honorem exhibemus, non propter seipsum, quia ex seipso est gloria plenus, cui nihil a creaturis adjici potest, sed propter nos: quia videlicet per hoc, quod Deum reveremur et honoramus, mens nostra ei subjicitur, et in hoc ejus perfectio consistit; quaelibet enim res perficitur per hoc, quod subditur suo superiori, sicut corpus per hoc quod vivificatur ab anima. Mens autem humana indiget, ad hoc ut conjungatur Deo, sensibilium manuductione; quia *invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*, ut Apostolus dicit Rom. I. Et ideo in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis, quasi signis quibusdam, mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur; et ideo Religio habet quidem interiores actus, quasi principales, et per se ad Relligionem pertinentes, exteriores vero actus quasi secundarios, et ad interiores actus ordinatos. S. Thomas Aqu. 2. 2. *quaest.* 81. *art.* 7.

(*B*) Discamus Christum honorare ut ipse vult. Neque enim vasis aureis opus habet Deus, sed animabus aureis. Hoc porro dico non quod prohibeam ne talia munera parentur, sed postulans, ut cum his et ante haec eleemosyna erogetur. Hic videtur donum esse ostentatio-

nis occasio; ibi est benignitas tantum. . . . . Quid opus est auro intexta velamina mensae apparare? quid inde lucri? Nam dic mihi: si quem videres necessario egentem cibo, et ipso sic relicto, mensam auro circumdares tantum, an tibi gratias ageret, annon potius indignaretur?... Hoc etiam circa Christum reputa, cum errabundus et peregrinus circumit, tecto indigens: tu autem illo in hospitem non admisso, pavimentum exornas et parietes, columnarumque capitella, et argenteas catenas lampadibus alligas, ipsum vero in carcere ligatum ne videre quidem sustines. Haec porro dico non prohibens ut haec ornamenta adhibeantur: sed ut haec etiam cum aliis curentur: imo hortor, ut haec prius quam alia fiant. Nemo enim, quod isthaec non faceret, accusatus unquam fuit: illa vero negligentibus gehenna destinatur, et ignis inextinguibilis, et supplicium cum daemonibus sustinendum. Ne itaque dum domum exornas, afflictum fratrem despicias. Nam hoc templum illo pretiosius. S. Joannes Chrysostom. *Homil. L. seu LI. in Matthaeum n.* 3. 4.

(*C*) De iis, quae varie per diversa loca observantur, una in his saluberrima regula retinenda est, ut quae non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, et habent aliquid ad exhortationem vitae melioris, ubicumque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando et imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit. S. Augustinus *ad inquisitiones Januarii lib. II. cap.* 18. *n.* 34.

Quod autem instituitur praeter consuetudinem, ut quasi observatio sacramenti sit, approbare non possum, etiamsi multa hujusmodi propter nonnullarum vel sancta-

rum, vel turbulentarum personarum scandala devitanda, liberius improbare non audeo. Sed hoc nimis doleo, quod multa, quae in Divinis libris saluberrime praecepta sunt, minus curentur; et tam multis praesumptionibus sic plena sint omnia, ut gravius corripiatur qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem violentia sepelierit. Omnia itaque talia, quae neque Sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universae Ecclesiae roborata sunt, sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut, vix aut omnino numquam inveniri possint caussae, quas in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione, resecanda existimo. Quamvis enim neque hoc inveniri possit, quomodo contra Fidem sint: ipsam tamen relligionem, quam paucissimis et manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Judaeorum, qui, etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis praesumtionibus subjiciuntur. Sed Ecclesia Dei inter multam paleam multaque zizzania constituta, multa tolerat, et tamen quae sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit. *Idem S. Pater loc. c. Cap. XIX. n.* 35.

(D) Fractorum cantuum varia veneficia mores corrumpunt, intemperanti et pravo musicae artificio perturbationem trahentes: . . . . improbo flexuum vocis artificio ad effoeminatam mollitiem et scurrilitatem deducunt . . . ab incitandis equis musici appellarunt ιπποθρον

(*a*) . . . Chromaticae harmoniae imprudentia meretriciae musicae est reliquenda . . . Divinum autem ministerium ab his (cantibus nempe profanis et chromaticis, qui etiam apud moderatiores Ethnicos habebantur veluti infames) separans, psallit spiritus : *laudate eum in sono tubae*, in sono enim tubae suscitabit mortuos; *laudate eum in psalterio* : quoniam lingua est psalterium Domini; *et in cithara laudate eum*: per citharam os intelligitur, quod Spiritu, tamquam plectro pulsatur; *in tympano et choro laudate eum* : dicit Ecclesiam, quae resurrectionem carnis meditari solet in pelle resonante. *In chordis et organo laudate eum*: organum dicit corpus nostrum, et chordas ejus nervos, per quos numerose intenditur, et Spiritu pulsatum voces edit humanas. *Laudate eum in cymbalis jubilationis*; oris cymbalum dicit linguam, quae pulsatis labris resonat : et ideo humanae naturae acclamavit : *omnis spiritus laudet Dominum* : quoniam omnis spiritus, quem fecit, curam gessit; vere enim pacificum instrumentum homo est. Clemens Alexandr. *Paedagog. lib. II. cap. 4*.

Qui habitat intus in pectore, ipse sit et in voce . . . Sit autem orantibus sermo et precatio cum disciplina, quietem continens et pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare; placendum est divinis oculis et habitu corporis, et modo vocis. Nam ut impudentis est clamoribus strepere, ita contra congruit verecundo, modestis precibus orare . . . . . Et quando in unum cum fratribus convenimus, et sacrificia divina cum Dei sacer-

(*a*) *Saepius ideo ejusmodi notulas apud amicos ludicre praenotaveram*, a frusta di vetturale.

dote celebramus, verecundiae et disciplinae memores esse debemus: non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem, commendandam modeste, Deo tumultuosa loquacitate jactare, quia Deus non vocis, sed cordis auditor est. S. Cyprianus *lib. de Orat. Dominica.*

EPISTOLA XVIII.

De re domestica, et bonorum usu.

Magna provisione opus esse, ut Ecclesiarum facultates neque redundent; neque rursus desint (1), egregie innuebat Crysosthomus: ex alterutro enim maxima plerumque incommoda suboriri compertum est. Si recentioribus polithicae scriptoribus, si mundano inquinatis pulvere blaterantibus admoveas auditum, hinc probra, illinc quaerimoniae, quia in demortuis, ut ajunt, manibus medulla terrae et bona lateant potiora, reique publicae prorsus inutilia depereant. Cuilibet indigites Ecclesiae pertinentia, invisum equidem praemonstrasti; perinde ac si dispensatores mysteriorum Dei alterius generis essent homines, et meliora possideant latifunda prae ceteris, neve ipsamet queis perfruuntur, socialibus ex communi foedere commerciis exhibita, publicis hodie censibus atque pedagiis sicuti et reliqua subjiciantur. Fatendum quidem, plurima eaque praetiosa majorum pietate Ecclesiis dedita: at in facto certe, pleraque aut obscure dudum deperdita, aut in laicorum dominium utile directumque, vel exiguo admodum censu, vel identidem, quonam pacto scit unus Deus, incidisse, pariter confitendum. Quamobrem ex parochis innumeros, non sine christiani animi moerore, cernimus inopia laborare. Stipendia, vel, uti appellitant, congruas, octuaginta aut cen-

(1) *De Sacerd. lib.* 3.

tum scutatis novimus constituta; sed pastorum permultos longe etiam minoris lucrifacere, atque re domi angusta vitam agere viliorem ac aerumnosam, quotidiana experientia edocemur. Quandoquidem vero decreta perfruantur mercede, porro diversae et temporum et locorum spectandae sunt circumstantiae; si enim tamquam sufficiens anteactis saeculis stips hujusmodi sancita fuit, tempestate praesertim hac nostra, ob auctam summopere victualium, omniumque vitae necessariorum caritatem, experimur plane deesse: vel maxime si de paroeciis agatur, aut grandi animarum numero refertis, aut praefinitis a domibus, ruri praecipue, milliariis aliquot dissitis, ex quo fit ut pascendo gregi adjutores sibi presbiteros, quos Capellanos vocant, aere plerumque proprio compellantur parochi cooptare. Absit vero, ne vehementi percitus Hieronymi zelo, cum *et mimi*, *et aurigae*, *et scorta haereditates capiant*, *solis clericis prohiberi* (1), conquerar; sat unum, si liceat sciscitari: eccur, quaeso, si cuncta aequa lance pensitentur, civilium quarumcumque praetores curiarum atque administros stipendiis auctos conspicuis videre est, nec iis promerita quisquam ausit exprobare, Ecclesiarum autem rectores praegravibus sane atque assiduis studiorum ac laborum solicitudinibus distenti, atque haud facilem diuturnamque Christi curandis ovibus operam impendentes suam, non parili, prae multiplicibus officiorum oneribus aut proxima saltem mensura coaequandi? Cura illis esto enutriendae familiae, ac insuper sociali bono instituendae: verum et grandior pastoribus pauperum familia saturanda pane, omni jugiter sublevanda nisu, ac fovenda.

(1) *Epist. ad Nepotian.*

Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere (1): *dignus est operarius mercede sua* (2): *qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt: ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* (3): haec Paulus et plura alibi similia, queis sacrosancta Conciliorum atque Apostolicae Sedis oracula, Patrumque placita, queis omnis aevi bonorum gesta atque vota penitus adstipulantur. Habeant igitur vineae Domini cultores ex quo portare queant pondera diei et aestus, ne, ut sibi postulent necessaria, per domos pudeat cursitare, ac ita prorsus vilescant atque despiciantur, neve alieno gravati foenore, aut re aut fama periclitentur, neve aliquando *ob inopiae timorem justitia deseratur* (4). De tuis hercle, et quorumdam nostratium Praesulum laudibus nulla unquam aetas, Antistitum optime, conticescet, qui Christi gerentibus famulatum quaque datum ope sobriae suppetias vitae provide tulistis (*A*). Quod si quis es, animarum custos, (et quidem supersunt permulti) qui caussa qualibet obsistente hujusmodi usque adhuc providentia careas, obsecro, patienter age, macte animo induere Christum JESUM, ac si deterius quam par est, *habeas victum et vestitum, his contentus eris, et nudam Crucem nudus sequere* (5): sin autem tanti polleas, ut honeste valeas agere vitam, ac tamen doleas nec te posse indigentibus praesto esse, eis saltem verbo, consilio, atque piorum ope inhies sublevandis, et voluntate bona placere satagas

(1) 2. *Timoth.* 2. 6.

(2) 2. *Matt.* 10. 10. *Luc.* 10. 7., 1. *Timoth.* 5. 18.

(3) 1. *Corinth.* 9. 13. 14.

(4) *Beda lib.* 4. *c.* 54. *in Luc.* 11.

(5) *Hieron. Epist. ad Nepotian.*

Deo (*B*): *melius est enim non habere quod tribuas*, *quam impudenter petere quod recondas* (1).

Jam vero ystera protera sunt ispicienda. Plures, nec pudet dicere, divitiis affluunt paroeciarum rectores; atque idipsum, quod mystici Christi corporis decori et indigentium adjumento tributum fuit, interdum in deterius verti, atque facilem aut avaritiae, aut prodigalitati sternere viam, ingenue fatendum est. *Si bona habere contingat*, *utere non pro libitu*, *sed pro tempore*: *sic eris utens illis quasi non utens*; *ipsa quidem*, *quod ad animi bonum spectat*, *nec bona sunt*, *nec mala*: *usus tamen horum bonus*, *abusio mala*, *sollicitudo pejor*, *quaestus turpior* (2). Haec utinam pastorum animis jugiter insculpta a sacrilega fame auri omnes averterent, ipsosque ultro monitos facerent, quia *ignominia sacerdotis est propriis studere divitiis* (3). Istiusmodi idolorum cultoribus, uti eos vocitat gentium Apostolus, è Canonum atque Constitutionum auctoritate, exprobrata satis superque nefaria cupiditas, edictae comminationes et poenae; attamen et bonum semen adhuc habet zizania, et infame dedecus, quod discipulum captivavit comitem Christi, quorumdam corda discipulorum adhuc foede captivat (*C*). Deteriori victu, et detritis vestibus miserrimam vix ducere vitam, templo aeque ac domo sordidis atque obsoletis, et pauperibus frustra post eum propria inclamantibus, *scrutare quotidie omnem substantiam suam*, *numerare singula*, *de minutis et quadrantibus rationem exigere* (4), quempiam

(1) *Ibid.*

(2) *S. Bernard. de Consid. lib.* 2. *c.* 5.

(3) *S. Hieron. Epist. ad Nepot.*

(4) *S. Bernard. loc. c. lib.* 4. *c* 9.

aegre conspicimus; quodve praeterea dolendum magis, incassum legibus atque Bullis turpem ejusmodi quaestum coercentibus, saecularibus sese negociationibus immiscere, alienis foenerari, campsorias coacervare chartulas, et domos et praediola et rura nancisci, ut *de patrimonio Crucifixi se, vel suos ditare festinent* (1), alios, nec absque omnium scandalo atque indignatione, videre est. Atque hac de caussa, cum olim, in cujusdam parochi obitu, loculos ac nummis referta marsupia haeredes invenisse, praelaudatus Philippus noster rescivisset, manum capiti admovens, ac vehementer dolens, illa D. Bernardi, *transitoria tua, quae stare tibi nullo pacto queunt, fac, ut a te, non per te transeant* (2), egregie retulit.

Nec eapropter nulla suis tribuenda dixerim; etenim integrum esse pastoribus de industriis potissimum ac parsimoniis propinquos donare nemo profecto inficias iverit: cum et quasi patrimonialia sive industrialia, in iisque etiam parsimonialia, ac item beneficialia bona propriae sustentationi necessaria pleno et libero sibi clericos acquirere dominio atque jure communi omnium fere canonistarum theologorumque suffragio edoceamur. An idem de beneficiorum fructibus congruae sustentationi superfluis dicendum, gravis adeo, neque haud facile contrariis admodum studiis in utramque partem obsistentibus dirimenda, suborta quaestio, ut eam nec Tridentini Patres definierint, neve in Synodis definiendam assumant Episcopi, Benedictus XIV. prudenter consuluerit (3). Quidquid vero de illa sit, certum plane apud omnes atque exploratum, ecclesiasticos reditus honestae sustentationi

(1) *Ibid. c.* 6.
(2) *Ibid. c.* 9.
(3) *De Syn. Dioec. lib.* 7. *c.* 2. *n.* 13.

residuos a clericis tamquam eorum *dispensatoribus* (1) in egentium subsidia, pia opera, Deique cultum distribuendos. Hinc ergo patet, consanguineis et familiaribus suis posse quandoque parochos subvenire, et superflua redituum reliquias, *si pauperes sint*, *iis ut pauperibus*, *distribuere*; dummodo *eas tamen non distrhaant nec dissipent illorum caussa* (2), neve ut ditiores fiant elargiantur, adeoque ceteris paroeciae praesertim pauperibus necessariora subtrhaantur auxilia. Sin autem ejusmodi superflua vel sibi peculium recondere, vel usui alieno ansit parochus erogare, se laethaliter peccasse, ac insuper restitutioni, uti ex probabiliori videtur sententia tenendum, obnoxium fore meminerit.

Rursus haud satis reprachendendos qui hujusmodi superflua vitio prodigalitatis insumpserint, ex hactenus dictis, quantum fuerit opus numquam non repetendis, apprime liquet. Si veriores scrutentur caussae, quibus ab una in paroeciam alteram, ditiorem sane, regendam, transmeandi consuetudo, et quidem frequentior, inolevit, praeter eas, quae aut infirmitatibus ob aeris malignitatem, aut jurgiis ac vexationibus vitandis, aut animabus omni meliori modo curandis Episcoporum voluntati et providentiae, aliisque probatissimis innituntur circumstantiis, hanc profecto communiorem in quibusdam ac maximam crediderim, ut potioribus nempe commodis, ne dicam luxu, *incredibilium concupitores* (3), vitam traducere valeant. Quandoquidem vero e relictae sponsae redditibus congrua percipiatur sustentatio, quidnam ex divitiori,

(1) *S Thom. Quodlib. VI. quaest.* 8. *art.* 12.

(2) *Conc. Trid. Sess. XXV. c.* 1. *de reform.*

(3) Tacit. *Annal. lib.* 15. *c.* 42.

quaeso, expetendum, cum et superflua utcumque danda pauperibus, neve retinenda, *quidquid enim praeter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est* (1)? Et tamen qualibet pinguiori (quod tamen raro apud nos evenire fatendum est) Ecclesia vacante, pastorum plurimos, queis ad honeste vivendum suppetunt bona, acriori minerva ad eam adsequendam decertare, Praesul optime, passim intueris. At quae, peracto feliciter stadio, alacrem adeo cupiditatem subsequantur et inspice (*D*). Elegantior domus nitior atque vestium supellex, quae saeculare redoleant fastum, domo insimul Dei aranearum cassibus obruta, squalore ac sordibus obsita et prorsus contabescente, praefulgent ubivis: atque famulis numero praeter necessariis et equis alendis aut canibus, avibusque, ludis insuper, itineribus voluptuosis, opiparisque conviviis, Christi inopumque dos undecumque detruditur. Nec ea refert futilis quorumdam excusatio, se nempe conspicuis exortos natalibus: dignitas enim personae non adeo ex occasionali qualitatis comparatione, sed magis respectu ad gradus locique congruentiam, metienda est; sin autem deterior intersit conditio, *natus*, exprobante Hieronymo, *in paupere domo, aut in tugurio rusticano, qui vix milio, et cibario pane rugientem saturare ventrem poteram, nunc similam et mella fastidio? Novi et genera et nomina piscium: in quo litore concha lecta sit calleo: saporibus avium discérno provincias, et ciborum me raritas, ac novissima damna ipsa delectant* (2)?

(1) *S. Bernard. Epist.* 2. *ad Fulcon.*

(2) *Loc. c.*

Cetera, eaque probrosa, lubens volensque praeteream. Duo interim, omnium votis quesita, re quoque perficienda, exoptamus ac petimus: alterum nempe, cum in taxanda honestae sustentationis mensura ipsimet in propria caussa judices sedeant pastores, ut tamquam fideles dispensatores et arbitri, quae, inspectis omnibus, eorum statui vere congruant, diligenter prae oculis habere studeant (1), atque sicuti inanes scrupulorum anxietates abigendae, ita prorsus et omnis excessus periculum, in quod passim offenditur, evitandum, et rigoris itemque laxitatis extrema prudenter utique praecavenda; alterum insuper, ut, Episcopi qui necessariis polleant facultatibus, ex ditioribus parocciarum redditibus, si quando venia Sedis Apostolicae accessit, pauperioribus opitulentur: atque ita prae locorum circumstantiis aequalitate rite servata, neque confundantur ii, qui non habent, neve qui habent facile superfluis abutantur; hinc nedum satiata aliquorum potiora capessendi cupiditas coercita omnino atque avulsa; hinc sponsae unius viro, pacato eam constantique animo fovere datum, et sincero amore deperire. Oh numquam promeritis pari commendatione coaequandus eximius ille pastor, cujus adhuc jacturam amarum est ingemuisse! Vineam Domini parvulam nactus, divitiores itemque illustriores ultro etiam oblatas, se magnis imparem oneribus humiliter causatus, invicto saepius animo recusavit: exiguo rure contentus, vestibus modeste, parcius mensae, pauperibus abundantius, nilque suis de more satagens indulgere, ipsam sex supra triginta annis neque ad horam fere deseruit, veluti pupillam oculi

(1) Thomassinus *Vetus et nov. Eccl. discipl. Tom.* 3. *de usu moder. provent. Eccl.*

dulciter adamavit, impensius coluit et auxit: jamque universae carnis ingressus viam, nihil, praeter aliquot propinquis libellos, nisi grande sui desiderium omnibus dereliquit. Neque igitur, aetate etiam hac nostra virtutis exempla desunt, eaque facilius Christi discipulis imitanda, si meditatione assidua meminerint, quia *totum Deo dedit, qui se ipsum obtulit, et facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum* (1).

(1) *Hieron. Epist.* 2. *ad Paulin.*

ILLUSTRATIONES.

(*A*) Quis mihi dabit ut sim sicut Petrus? Licet tibi esse sicut Petrus, si velis quae habes abjicere; disperge, da pauperibus, Christum sequere, et eris talis. Quomodo? ille fecit signa. Hocne est quaeso quod Petrum fecit admirabilem, an fiducia quam est consequutus ex vitae institutione? Non audis Christum dicentem: *nolite gaudere quod daemonia vobis obediant: si vis perfectus esse, vende quae habes et da pauperibus: et habebis thesaurum in coelis.* Audi quid dicat Petrus: *aurum et argentum non est mihi: quod autem habeo hoc tibi dò.* Si quis habet aurum et argentum, illa non habet. Quid vero, quod multi nec illa habent nec ista? Quia non sponte sunt pauperes. Quicumque sponte sunt pauperes, habent omnia bona. Nam etsi nec mortuos nec claudos excitant et erigunt, tamen, quod est majus his omnibus, habent apud Deum fiduciam: audient illa die beatam illam vocem *venite benedicti patris mei* ec. ec. S. Joan. Chrysost. *Hom. XVIII. in Epist. ad Hebraeos*; *totam eam videsis, qua praeclarissimus Pater quaquaversus avaritiam perstringit, et verae christianae paupertatis in Christi domesticos flexamino pressoque stylo inspirat amorem.*

(*B*) Sis non opibus et facultatibus modo, verum et pietate dives: non auro, sed virtute. Sis proximo tuo hoc nomine praestantior, quod majorem benignitatem praeferas. Sis calamitoso Deus, Dei misericordiam imitando. Nihil enim tam divinum habet homo, quam bene de aliis merendi facultatem . . . . . Hoc longe pulcherrimum atque humanissimum est, quod Deus, non

muneris pretio et dignitate, sed donantis animo largitionem metitur. S. Gregor. Nazianz. *Orat. XV. e Sacr. Parallel. S. Joan. Damasc. tit. VIII. lit. a.*

(C) Unam hanc vocem nosti: non habeo, nec dabo, pauper enim sum. Ac sane pauper es, omnisque expers boni: inops caritate, inops humanitate, inops fide in Deum, inops spe aeterna. Fac saltem, fratres tui in partem cum tineis veniant: quod postridie labefactabitur, egentibus hodie tribue. Extremae avaritiae est, ne ea quidem quae corrumpuntur, cum egentibus communicare. Quem tandem, ais, injuria afficio, dum quae mea sunt contineo? Quaenam quaeso tua sunt? Annon nudus excidisti ex materno utero: annon nudus rursum in terram reverteris? Quae vero nunc habes unde tibi contigerunt? Si a fortuna dixeris, impius es, qui nec Creatorem agnoscas, nec ullam ei qui largitus est gratiam habeas. Sin a Deo ea te habere confiteris, affer causam cur acceperis. Num iniquus est Deus, qui haud aeque nobis distribuit? Ecquid illud est: cur tu opibus abundes, alter contra egeat? annon omnino, ut et tu benignitatis fidelisque administrationis mercedem referas, et alter ingentibus patientiae praemiis ornetur? Siccine vero, vastissimo et inexplebili avaritiae sinu omnia coercens, nemini te inferre injuriam putas, cum tot homines eorum usu spolias? Quis avarus? annon is, qui eo quod satis sit, contentus non est? Quis spoliator? is qui sua cuique eripit. Tu igitur avarus ille, tu spoliator, qui ea quae dispensandi causa accepisti, tibi ipsi vindicas. Si quis homini vestem detrahit, citra controversiam fur est; qui nudum non induit, cum id facere possit, numquid alio nomine debet appellari? Famelici est ille panis quem retines: nudi est vestimentum quod in arca ser-

vas: excalceati sunt calcei illi qui apud te corrumpuntur: egentis denique aurum illud, quod humi defossum habes. Ac proinde tot homines injuria afficis, quot sunt quibus haec praebere poteras. S. Basilius M. *in illud* destruam horrea, *ex cit. Sacr. Paralell. Tit. IX.*

(D) Et alimenta et vestes, vasa et supellectilem, et quaecumque in domo sunt, atque ipsam, ut semel dicam, vitam, oportet esse consentaneam rectae Christiani hominis institutioni, prout conducibile fuerit, accomodatam personae, aetati, studio, ac tempori. Cum enim simus unius Dei ministri, oportet et possessiones, et quae est in eis supellectilem, unius honestae vitae signa ostendere, et unumquemque hominem certa fide, huic uniformi institutioni, ea, quae consequuntur, consentanea, et huic uni proposito convenientia videri facere. Clem. Alexandr. *Paedagog. Lib. II. c. 3.*

Sic vivamus tamquam nihil habentes et omnia possidentes. Victus et vestitus divitiae Christianorum sunt. Si habes in potestate rem tuam, vende: si non habes, projice. Tollenti tunicam et pallium relinquendum est. Scilicet nisi tu semper recrastinans, et diem de die trahens, caute et pedetentim vendideris, non habet Christus unde alat pauperes suos. S. Hieronymus *Epist. ad Paulinum N. LIII.*

EPISTOLA XIX.

Senescentis otia.

Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata (1); ideoque Seniorum nomine apposite presbyteros omnes novimus praesignatos, quippe qui verendam veluti senectae gravitatem, atque perfectiora virtutum specimina aetate quavis praeostendere teneantur *(A)*. Attamen, aufugientibus horis, fluminis ritu ferimur cuncti, et *quasi aquae dilabimur super terram* (2), atque reapse, *velimus*, *nolimus*, *senescimus* (3). *Jam cano capite, et arata rugis fronte, et instar boum pendentibus a mento palearibus*, frigidus obsistit circum praecordia sanguis (4); *pituita molestissima, caligantes oculi, tremens interdum manus: torminibus et aculeis stomachi, podagraeque et chiragrae doloribus saepe torquemur, ita ut ne stylum quidem aut calamum tenere, ut nostris pedibus non possimus incedere, magnaque pars vitae videatur esse truncata, et multis membris praemortua*: vox quoque jam fugit ipsa (5). Quamobrem si veluti paroecialis vitae coronidem, postremis haerentem ociis vetulum quoque pastorem consideravero, om-

(1) *Sapient.* 4. 8. 9.
(2) 2. *Reg.* 14. 14.
(3) S. Hier. *Epist. ad Furiam.*
(4) Idem *Epist. ad Nepot.*
(5) Idem *Epist ad Pammach.*

ne mihi tulisse punctum, tuoque, Praesul optime, desiderio satis quoquo modo fecisse gratulabor.

Equidem senectus ipsamet, quae in urbibus conspicua, atque in cunctis hominibus venerabilis, in longaevis gregis Christi custodibus sancta est. Fidelis enim et annosi pastoris *exaltabitur senectus in misericordia uberi* (1). Praedomitis jam concupiscentiae fluctibus, vitaeque declinata superbia, praecipiti juventutis aestu actum cor nutantemque voluntatem non secus ac e portu securitatis comminiscens, vix credit sibi, tot inter evasisse discrimina; cunctaque fere desiisse pericula demiratus, *tempore requietionis suae conturbatus est in visu cordis sui, tamquam qui evaserit in die belli* (2). Aliquid autem humani passum, *si* namque *dixerimus*, *quoniam peccatum non habemus*, *ipsi nos seducimus* (3), arrepta exinde virtutum semita satis erigit ac solatur in Domino: ipse quippe *dans tempus et locum*, *per quae posset mutari a malitia* (4). Hinc sui aliorumve expertus periclis, prudentior ideo ac ubique circumspectus, Christum ore et corde gerens, quae sibi fuerint lucra, haec arbitratus propter eum detrimenta (5), veritatis tramitem inoffenso decurrit pede: in cunctis enim christianae et socialis vitae maturius perpendendis riteque obeundis muniis officiisque, *quam speciosum canitiei judicium*, *et presbyteris cognoscere consilium* (6)! Praeterea, et scientiae inflantis jactatio, et pertinax in proprio sensu voluntas, et aemulationes, et contentiones, et vox petulantior, cetera, quae validioribus annis ferventis impetu naturae palam exarde-

(1) *Psal.* 91. 11.
(2) *Eccli* 40. 7.
(3) 1. *Joan.* 1. 8.
(4) *Sapient.* 12. 20.
(5) *Philipp.* 3. 7.
(6) *Eccli* 26. 6.

scunt, in mundi sapientibus vel nunquam delitescunt aetate labente, vel parum attenuantur; ast vetulum inspice domesticum Dei, etsi plurimarum rerum apprime gnarum multaque in dies addiscentem, modesto tamen mitique animo cuique poscenti praeclara lumina pandentem sua, aliorumque facile placitis acquiescentem, se nihili sapere serio profiteri, numquam verae sapientiae latices attigisse, arbitratum, nisi in scientia sanctorum sibi gaudeat profecisse: quoniam *corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei* (1). Quapropter emeritos ejusmodi Christi milites, Ecclesiae decus atque ornamentum, et obsequiis prosequamur et laudibus, ac qua datum ope foveamus. Numquid, parum factam, invisam forte, sibique omnino relictam, nedum ab levi ac effrene saeculi juventa, verum et ab iis quoque, quibus maxime oporteat curae esse, augustam verendamque presbyterorum senectam usque adhuc exprobravero? Utinam aliquos, laboribus aevoque fractos, infirma plerumque valetudine, necessitudinibus circumventos, aerumnosas vix traducere postremas horas, haud conqueri debuissemus! *Nullis ne*, Antistites providissimi, (liceat, quaeso, ab ethnico quoque homine verba mutuare) *nullis ne meritis suis, nullis vestris honoribus unquam in arcem tutam et velut sanctam clari viri pervenient, ubi si non venerabilis, inviolata saltem senectus eorum confidat?* Aequum enimvero honestumque, ut qui in vinea Domini excolenda diebus processerint multis, et languescentis perpeti coeperint taedia vitae, non modo paroecialibus alterius ope muneribus absolvendis, sed cunctis etiam suppetiis,

(1) *Eccli* 25. 8.

quibus novissimos dies gestiant videre bonos, omnimode subveniantur.

Quae quum ita sint, senio quoque graves, exhilaratis animis acquiescant satis, viresque propemodum reparent pastores, et ipsa aetatis incommoda haud bonis carere suis collaetentur. *Nulla Dei regno infirma aetas, nec fides gravatur annis* (1), et *virtus in infirmitate perficitur* (2). Quibus autem sibimet plebique concreditae opitulari queant, senibus quoque haud difficilia, eaque nec injucunda supersunt multa, inter quae docendi munus primum accenseri videatur. *Decorus sermo senis, quietus, et remissus, facitque persaepe ipsa sibi audientiam diserti senis compta et mitis oratio* (3). Etenim quae diuturna exercitatione in bonam frugem prolata, itemque profutura expertus fuerit, eadem apte depromere, et fucato verborum aestu depulso, protinus inhaerere sententiis, rerumque veluti substantiam brevi prorsus sermone concludere, probato animarum duci in deliciis erit. Quantum vero utilitatis, itemque sibi auctoritatis conciliare, quantum audientium animis emolliendis, atque ad salutem excitandis, vetuli pastoris obtestationes possint ac monita, si praesertim, aut flagitiorum monstra insectantem, vel praeclariora virtutum, sive novissimorum teterrima praemonstrantem, subitae, quod in senibus obvium quidem ac familiare, prae oculis obortae lacrymae, adeo ut vox quoque faucibus interdum haeserit, concionantem quandoque comitentur, vel quotidianis plurimorum exemplis undique instruimur. Neque vero, uti quidam, caussam ab annorum tantum numero praese-

(1) S. Ambros. lib. 7. *Comment. in Luc.*

(2) 2. *Corinth.* 12. 9.

(3) Cicer. *de Senect. n.* 28.

ferentes, indulgendum sibi putant, doctrinae pabulum ovibus suis fas omnino subtrahere; ne quid nimis ociandum cui modicum adhuc vires piaque suppetunt desideria. Esto, quosdam non posse in plura vocem contexere: attamen in splendidissimum sibi exemplar praeficiant Joannem, qui *cum usque ad ultimam senectutem vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: filioli, diligite alterutrum, quia praeceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit*, quam veluti *dignam Joanne sententiam* enixis laudibus Hieronymus celebravit (1). Quapropter nisi e suggestu aut altari, quaedam nihilosecius animis ad fidei veritatem roborandis, ac selectiora saltem moribus dirigendis et reformandis, sedens interdum ad cathechesim satagat explanare, et plebem Christi qua datum ope in semitam salutis praeducere.

Quandoquidem vero infirma corporis valetudine vix e cubiculo egredi prohibeatur, o quam speciosa, in cathedram sapientiae vertenda, sellula senectutis, evangelizantis pacem, evangelizantis bona (2)! Ab ea enim qui sibi invisendo passim commearint, salutaris quaeque scientiae ac virtutum specimina facile contuentes, neutiquam adempta sibi pastoris exempla animadvertent ac monita; quippe quae peculiari quodam affectu viritim insinuantur, altius in corde radices agant, quam si generatim depromantur in multitudinem, quo non sibi sed aliis utique directa plerumque censeantur. Quod sane longaevi pastoris ociis nec injucundum officiorum genus et aliis coalescit emolumentis. *Extrema aetas hoc bea-*

(1) *Comment. in Epist. ad Galat. lib.* 3. *c.* 6.

(2) *Ad Rom.* 10. 15.

tior, *quam media*, *quod auctoritatis plus habeat*, *laboris vero minus* (1). Magnum quidem homini praeesse: quod juventuti praecipue facilis arrogantiae et inflantis supereminentiae plerumque fomes. At *contemtor ambitionis et infinitae potestatis domitor ac frenator animus ipsa vetustate florescit*, *nec ab ullis magis laudatur quam quibus maxime necesse est* (2). Hoc autem jure meliori de sene presbytero, in quo potestas itemque prudentia aequo foedere dudum consociatae invicem attemperantur, et in quo christianam humilitatem erigit auctoritas, et auctoritatem flectitat humilitas atque exornat. Hinc *severitatem in senectute probo*, *sed eam modicam*: *acerbitatem nullo modo* (3). Etenim tamquam anxii, irrequieti ac difficiles, interdum haud fortassis injuria, senes insimulantur; quo fit, ut minaces objurgationes verbaque asperiora, utpote quae ab infirmo senectutis corpusculo exorta, despici saepe, nec absque auctoritatis dedecore, illudi quoque contingat; *superba* namque *mens nostra adhuc non vult hoc sponte deserere*, *quod quotidie perdit invita* (4). *Haec tamen omnia dulciora fiunt et moribus bonis et artibus* (5), quas e divini Praeceptoris et doctrinis et exemplis, nempe mites esse et humiles corde, ut animabus suis requiem inveniant (6), satis abunde didicère pastores.

Tandem *senectuti relinquemus*, *ut adolescentes doceat*, *instituat*, *ad omne officii munus instruat* (7); id autem junioribus praesertim in sortem Domini cooptandis

(1) Cic. *loc. c. n.* 60.
(2) Plin. *in Panegyr. Traj.*
(3) Cic. *loc. c. n.* 65.
(4) S. Gregor. M. *Hom.* 5. *in Evang.*
(5) Cic. *loc. c.*
(6) *Matth.* 11. 29.
(7) Cic. *loc. c. n.* 29.

admodum utile, si quae diutina exercitatione et vigiliis permultis ex quavis disciplinarum sibimet pastor labore maximo comparavit, eadem opportuno et familiari quodam excursu sibi pandi ac veluti gaudeant enucleari *(B)*. Praeclarissimus Monilia, cum jam senio confectus, quibusdam delectis discipulis, subsecivis horis domi proluderet, gravi adeo, multiplici, venustaque ab cunctis prope facultatibus supellectile eos erudierat, ut iimet, scriptis, quae audierant, postmodum exarata, comminiscentes, tantum sibi viderentur exiguo temporis profecisse, quantum plurimorum voluminibus assidua manu versandis vix acquirere sibi pollicerentur. Persaepe, *venite filii audite me, timorem Domini docebo vos* (1), dictitabat; hinc authographa scripturarum oracula ad Vulgatam diligentius exponere, potiora scholae syntagmata et quaestionum involucra, tecnica verborum inanitate posthabita, perspicua sententia definire, veterum recentiorumque philosophantium ad trutinam revocare systemata, somnia irridere, blasphemantium sophismata denudare penitus ac prorsus conterere: ad universam chronotaxim aeras et facinora illustriora versiculis quibusdam concludere, omnique demum eruditionis copia amoeniora quaeque studiorum breviter, dilucide, concinne praemonstrare, ipsi in deliciis fuit. Quoniam vero, e Solonis effatu, senescere se multa in dies addiscentem, modeste profiteretur, inexplebilem sapientiae animam locupletare adhuc, aliisque satagens quoquo modo profuisse, recenti quolibet opere e typis prodeunte, illud, sibi ab alumnis utique legendum, elementari veluti ad rem isagoge praeire, dumque perlegeretur, scholiis passim exornare, un-

(1) *Psalm.* 33. 12.

dequaqne observationibus augere, exquisitissimis interdum, sale ac lepore perspersis, vellicare judiciis, absolutaque lectione, analytica quadam synopsi in optimam audientium frugem ex integro resumere, de more praestitit. Exemplar ejusmodi splendidissimum, quod nec absque gratissimo devincti animi sensu commemoro, senibus quoque pastoribus ut quo valeant conatu ecclesiasticis adolescentibus efformandis ipsum pro opportunitate studeant imitari, eo libentius exhibere gestio, quo sibi melius aliisve profuturos confidam; cum praesertim *si habeat aliquod tamquam pabulum studii atque doctrinae, nihil sit otiosa senectute jucundius* (1). *Ut enim adolescentibus bona indole praeditis sapientes senes delectantur, leviorque fit eorum senectus, qui a juventute coluntur et diliguntur: sic adolescentes senum praeceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur* (2). Hoc sane pastoris emeriti neque haud leve solamen aetati, neque inglorium perfuncti laboris emolumentum: quoniam *senectus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, et in lege Domini meditati sunt die ac nocte, aetate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior, et veterum studiorum dulcissimos fructus metit* (3) (*C*).

Neque vero ex potioribus hisce in proximos caritatis officiis haud postremam egenis sublevandis sollicitudinem exhibendam fore praeteream, etiamsi gravior in quosdam vetulos avaritiae querela passim objiciatur. *Avaritia senilis quid sibi velit, non intelligo: potest enim quicquam esse absurdius, quam, quo minus vitae restat, eo plus*

(1) Cic. *loc. c. n.* 49.
(2) *Loc. c. n.* 26.
(3) S. Hieronym. *Epist. ad Nepot.*

viatici quaerere (1)? Esto, ad levandas senectutis aerumnas, quibusdam commodis opus esse atque adjumentis: ast aliis itidem nec exiguis quoad vitae necessitudines parcimoniis locum simul fieri, annosus quilibet moderatus ac frugi ingenue fatebitur. *Quod* eapropter *cessat ex reddilu, frugalitate suppletur, ex qua, velut a fonte liberalitas nostra decurrit* (2). Thesauro in agro invento atque abscondito mox arripiendo quis non omnia vendit sua, ut agrum emat, et divitias festinet assequi sine fine duraturas? *Gloria pastoris est pauperum inopiae providere* (3): neque illustriora omnis aevi praesulum, qui disperserint, pauperibus dederint, et in Christi egestate sancte decesserint, exempla desunt.

Haec plane seni presbytero proficua valde, ac inter annorum defectiones nec prorsus ingrata praeventio. Verum et parum aliis vel extrema aetate quoquo modo profuisse, nisi ad se ipsum, suamet fretus infirmitate, anxie animus revocetur *(D)*, ut *qui ad vetustatem vitae per societatem saecularium ducitur, ad amorem semper spiritualis patriae compunctionis aspiratione renovetur* (4). Quamvis enim *raro inter emortuos cineres scintilla sublucens reviviscere nitatur, et tamen incendia non possit suscitare . . ., patitur quidem et senectus nonnunquam incentiva vitiorum: nullusque diu tutus est periculo proximus* (5) (*E*). Quamobrem adhuc sedens super flumina Babylonis, illic flens recordetur Sion optimus pastor, *ut in eo vim solicitudinis erga coelestem vitam divinae ad-*

(1) Cic. *loc. c. n.* 65.
(2) Plin. *Epist. lib.* 2. 4.
(3) Hieronym. *loc. c.*
(4) S. Greg. M. *Pastor. P.* 2. *c.* 11.
(5) S. Hieronym. *Epist. ad Pammach.*

monitionis verba restaurent (*F*) (1). Assiduis orationis praesidiis instet usque sibi, ut in finem perseveraturo praebeatur et gratia. *Quis non ad suos navigare festinans, ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter charos liceret amplecti* (2)? Ejusmodi vero suaviter afflante Spiritu, *in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adjuvandis laborantibus, misericordiam in fovendis pauperibus, in defendenda veritate constantiam, in disciplinae severitate censuram, ne aliquid ad exemplum bonorum factorum desit* (3), abunde praeseferet, multaque sibi congessisse gaudebit, ut praetiosam oppetere mortem non vereatur. Si enim *breve tempus aetatis satis est longum ad bene honesteque vivendum, et conscientia bene actae vitae multorumque benefactorum recordatio jucundissima est* (4), (*G*) nulloque ideo ab universae carnis fine potest affici metu, ecquid amplius promerito Christi domestico adhuc putandum superesse, nisi ferventiori magis in Deum veluti languescere caritate, imisque cupere gemitibus dissolvi tandem, et esse cum Christo! Oh vere terque beatum, cum inter postrema vitae curricula dulciter ingemiscens, mox in coelum ituri, gentium Apostoli sibi queat asserere verba: *tempus resolutionis meae instat; bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex* (5)!

(1) S. Greg. M. *loc. c.*
(2) S. Cyprian. *de mortalit.*
(3) Beda *Serm.* 18. *de Sanct.*
(4) Cic. *loc. c. n.* 9. 70.
(5) 2. *Ad Timot.* 4. *v.* 6. 7. 8.

ILLUSTRATIONES.

(*A*) Quanta est vita hominis, etiamsi senescat? aut cum sibi homines optant senectutem, quid aliud optant, nisi longam infirmitatem? Sic et honores hujus saeculi quid sunt nisi typhus et inanitas et ruinae periculum? Quia sic Scriptura sancta dicit *omnis caro foenum et claritas hominis ut flos foeni. Foenum aruit, flos decidit: verbum autem Domini manet in aeternum.* Ideo qui veram requiem et veram felicitatem desiderat, debet tollere spem suam de rebus mortalibus et praetereuntibus, et eam collocare in verbo Domini, ut haerens ei, quod manet in aeternum, etiam ipse cum illo maneat in aeternum. S. Augustinus *lib. de Catechiz. Rud. cap.* 16.

Nos quoque fuimus novi, nunc autem inveteravimus. Propterea sumus prope interitum: sed si velimus, hoc senium amovebimus et abrademus. Si quid sit in nobis vetustum, abjiciamus: si qua ruga, si qua macula, si qua sordes, abluamus, et pulchri reddamur, ut concupiscat rex pulcritudinem nostram; licet, etiamsi in extremam deciderimus deformitatem, rursus illam acquirere pulcritudinem, de qua dicit David: *audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populi tui, et domus patris tui, et concupiscet rex decorem tuum.* Atqui oblivio non facit decorem, decorem inquam animae. Quaenam est ergo oblivio? oblivio peccatorum. Alloquitur enim ecclesiam quae est ex gentibus, ei suadens, ut parentum non meninerit, nempe eorum qui sacrificabant idolis: ex iis enim fuit collecta. . . . Vides quanto intervallo vult nos a vitio abesse? Nam qui non

meminit, nec cogitabit: qui non cogitat, nec loquitur: qui autem non loquitur, nec aget. Vides, quam multis spatiis viae nos arcuit, et quam multis intervallis nos removit? Ergo nos quoque audiamus, et malorum nostrorum obliviscamur; non peccatorum inquam quae admisimus: memento enim, ait, tu prior, et ego non meminero; ut, exempli causa, non recordemur rapinae, sed etiam priora reddamus: hoc est, oblivisci vitii, et rapacem expellere cogitationem, ipsamque nunquam admittere, sed et quae a nobis peccata sunt delere. Undenam autem nobis orietur malorum oblivio? ex recordatione bonorum Dei. Si Dei perpetuo meminerimus, non poterimus etiam illorum meminisse. Si *memor fui tui*, inquit, *super stratum meum*, *in matutinis meditabor in te*. Atque semper quidem, maxime autem tunc oportet Dei meminisse, quando in silentio et quiete est nostra cogitatio, quando per illam memoriam se potest condemnare, quando in memoria tenere ec. Chrysostomus *Hom. XIV. in Epist. ad Hebraeos n. 4.*

(B) Senes autem, adolescentes tamquam filios respicientes, rarissime quidem, sed tamen aliquando cum eis luserint, salsum aliquod dictum in eos torquentes, quod eos decorum doceat. Clemens Alexandr. *Paedagog. lib. II. c. 6.*

(C) Funus tuum praeverte. Eximium funus est pietas. Sic abscede, ut omnia tecum efferas. Fac, ut opes tuae tibi ornamento sint; eas tecum habe. Bono consiliario, idest Christo, fidem accommoda, qui dilexit te, et nostra causa egenus factus est, ut ipsius egestate ditesceremus. S. Basilius M. *Hom. ad divit.*

(D) Vetus donum est jejunium, quod non vetustatem et senium contrahit, sed semper renovatur, et in

perpetuum vigorem repullulat et florescit. — Sanitatis est parens, juvenilis aetatis moderator, senum decor. — Senibus levem laborem facit vetus ea familiaritas, quam cum illo habuerunt. Labores enim diuturna consuetudine culti, minus molesti exercitatis accidunt. Idem S. Basilius M. *Hom. I. et II. de jejun.*

(*E*) Filii Dei quamdiu mortaliter vivunt, cum morte confligunt: et quamvis de illis sit veraciter dictum, *quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*, sic tamen Spiritu Dei excitantur, et tamquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu suo, maxime aggravante corruptibili corpore, tamquam filii hominis in quibusdam humanis motibus deficiant ad se ipsos, et ideo peccent. Interest quidem quantum: neque enim quia peccatum est omne crimen, ideo crimen est etiam omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam, quamdiu in hac mortali vivitur, inveniri posse dicimus sine crimine: *peccatum* autem *si dixerimus quia non habemus*, ut ait sanctus Apostolus, *nosmetipsos seducimus et veritas in nobis non est.* S. Augustinus *Enchirid. cap. LXIV.*

(*F*) Hoc scias velim, me quosdam ad senectutem usque provectos nosse, qui per orationem et spem robur maximum divinitus consequuti sunt. S. Joan. Damasc. e *Sacr. Parallel. lit. e tit. VII.*

De quotidianis brevibus levibusque peccatis, sine quibus haec vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum est enim dicere, *Pater noster qui es in coelis*, qui jam Patri tali regenerati sunt ex aqua et Spiritu. Delet omnino haec oratio minima et quotidiana peccata. Delet et illa, a quibus vita fidelium etiam scelerate gesta, sed poenitendo in melius mutata, discedit; si quemadmodum veraciter dicitur, *dimitte nobis debita nostra*,

quoniam non desunt quae dimittantur: ita veraciter dicatur, *sicut et nos dimittimus debitoribus nosris*; idest, si fiat quod dicitur; quia et ipsa eleemosyna est, veniam petenti homini ignoscere. S. Augustinus *Enchirid. cap. LXXI.*

(*G*) Plerisque Dei dona dantur, perseverantia vero doni non datur. Et inde est, quod quidam principia habent conversionis bonae, fine vero malo clauduntur. Electi vero accipiunt et conversionis donum et perseverantiam doni. Ea ergo causa est, quod quidam et bene incipiunt, et bene finiunt. S. Isidorus Hispal. *Sententiar. lib. II. cap.* 5.

EPISTOLA XX.

Optimi Pastoris obitus et depositio.

Jamque metam attigimus, ut prolusionibus hisce nostris, Antistes amplissime, finem aliquando fecisse gratulemur. Pastorem e sanctae vocationis prodeuntem cunabulis, sibi propriis studiorum exercitationibus ad sacra properantem, et in regiminis fastigio positum, tot inter tantaque munera, sibi creditis ovibus nunquam profuturum satis, pro viribus insudantem, quaquaversus, concito veluti excursu, prosequuti, id demum superërit, suprema quoque hora, certato bono certamine, cursuque feliciter consummato, justitiae mox corona donandum, propius inspicere. Atque heic profecto loci, ad praeclarissimum Philippum nostrum, cujus identidem virtutum paucula datum vix indigitasse, animum esset ex composito intendere, reique pro copia facere, et ab quo meas auspicatus lucubrationes, promerito gratiam nomini jus mihi fasque in exitu sermonis gratificari. Quandoquidem tamen, *quaecumque vera, quaecumque pudica, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae* (1), in praecipuis paroecialis ministerii caracteribus adornandis, undequaque praefulxerint, in hisce plane amicum haud obscure effinxisse nostrum annisus fuerim, satius idcirco, in meliorem quoque omnium rectorum frugem, ve-

(1) *Philipp.* 4. 8.

luti pro singulari ejus benefactorum laureola, memorabiles tanti viri horas novissimas enarrare; quippequae conspicuis adeo insignibus coruscarint, ut, etiamsi nulla extarent anteactae praeconia vitae, supervacaneum nihilominus quaerere, post tale decus, quid pastor ille eximius egerit ante.

Exploratum quidem, singulas in statu quolibet officiorum exercitationes, tritamque perficiendarum rerum habitudinem, lapsu temporis, in plusculos indifferentiae gradus impellere animum, ac inter usu assueta munia, quae magno quoque et alacri corde incoepta fuerint, nisi taedium impatiens, quidpiam saltem languescentis humanae infirmitatis saepius obrepere. Atqui hoc porro unum seu scopulum, seu piaculum probis etiam pastoribus passim extimescendum, ni constantes indesinenter sibi, non ad oculum servientes, sed forma facti gregis ex animo, sollicito quodam conatu, rem sanctam curent, coram Domino, ad finem usque peragere. Quam prorsus veluti spiritus hebetudinem Angelo Laodiciae, in eoque cunctis Ecclesiae praesulibus, fatidico prospiciens lumine, Christumque referens, exprobravit Joannes (1). Etenim „ quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ibi fige tui cursus profectusque metam ubi Christus posuit eam; factus est obediens usque ad mortem (*A*). Quantumlibet ergo cucurreris, si usque ad mortem non perveneris, bravium non apprehendis; bravium Christus est: quod si, illo currente, gradum sistis, non Christo adproprias, sed te magis elongas „ (2). Eapropter vae quibus sterile nudumque ministerium aliquando exprobrandum iri contingat: sicuti e contra qui

(1) *Apocal.* 3. 16.

(2) S. Bernard. *Epist.* 254.

diem avidius carpere studeant, qui *nunc coepi*, veluti sibi tesseram, assidua gaudeant instantia praesignare, perinde ac si impigra voluntate ingenuaque mente, quod proprie amantium est, opus domus Domini ab unoquoque auspicarentur die, vere terque beati!

Haec nimirum egregii pastoris nostri praecipua laus atque maxima. Is namque alacrem indeflexamque operam altioribus studiis juvenis admodum dederat, et triginta jam annos natus, illustriora sublimis et erecti ingenii exhibuerat specimina; attamen, quando sapientissimis etiam ac senibus cupido gloriae novissima exuitur, honoris et famae haud quaquam appetens, paroeciale culmen conscendere, ultro sibi etiam iterumque delatum, sui victor atque eotemptor humiliter detrectarat: necnisi praecipiente sacrorum antistite, Usilianensis tandem paroeciae habenas moerens et invitus jussus moderari, tantum interfuit, eminus advenientem primum prospicere, ut exhilaratis vocibus animisque confestim a popularibus sublatus in humeros, triumphali veluti pompa raperetur in Templum; ille vero miti et suavissimo, quibus mire pollebat, ore et eloquio, piaeque mentis ardore, tam praeclara et amabilia extemporaliter dixerit, ut ei prae lacrymis vox fere defecerit, quo cuncti, vehementer commoti, fletus, ejulationes, plausibus et precibus inmiscuere. Felicem prorsus faustumque, cui nedum absimilem, sed in auctus quoque plurimos succrescentem valde singulum quemlibet et ultima reperiit dies!

Quid enim cunctis sacri regiminis obeundis muniis omnimodam exequar curam anxiamque solicitudinem, quum non sibi, sed singulis tantum ejusmodi officiis horas mancipasse et momenta videretur sua? Sanctus ille cordis ac spiritus ardor, ab vultu ac verbis se proditum

nescius, quo secundas vel adversas temporum vices in salutare ovium suarum remedium atque munimen, solatium quoque, prae circumstantiis, aptare satagebat, nulla unquam laude satis poterit exaequari. Oh si divina reserantem mysteria, flagitiorum probra insectantem, evangelicum vere praeconem audisses! Et sententiarum gravitate nitideque rerum ordine, et, omni declamationis jactantia levique fuco depulsis, pacatissimi verecundia sermonis, suavique facilitate atque unctione, audientium animos adeo sibi obstringere ac percellere solitus, ut aliquid semper ad salutem adeptos e templo discedentes collaetarentur. Privatis, quae clam fierent, admonitionibus non minus auctoritatis inerat, quam gratiae: quippequae in mansuetudine pacis, in spiritu sancto, consummata prudentia de more peractae, errabundae cujuscumque ovis cor et voluntatem emollirent omnino, instruerent, ac prorsus innovarent. Quae vero, in dispensatione sacramentorum, ad publicas preces, in omnibus, quae Dei cultum, Ecclesiae disciplinam, animarumque salutem quoquo modo respicere viderentur, et majestas venerabilis atque decus, et gratiae comes nitor ingenuus, et flagrantibus passim respersus lacrymis eximius fervor, quanta denique in voce, oculis, habitu, gestu dignitas atque fides! Quid, si caritate speque affatim redundantem, super taedia malorum, quae magnos quoque infringunt animos, aerumnis morbisque perculsos non permulcere modo, sed blanda prorsus consolatione recreare, eaque desiderabilia, necnon teterrimos mortis agones efficere suaviores respexisses! Omnibus omnia factum, non horae unius paginaeve res esset, passim exhibere paucisque complecti.

Ex aliis namque et alia suppetunt attingenda. Tristitiam, et arrogantiam, et avaritiam exuerat: (liceat quae

forte assentator, ethnicus homo usurpavit olim, in tesseram veritatis resumere) (1). Cunctis vitae officiis aequabilis, vultum secundae fortunae in adversis gerere, moderari animos in secundis, mos illi fuerat. Ubi muniis satisfactum, nulla ultra potestatis persona: nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut severitas minuerat amorem. Mira plane humilitatis et modestiae naturali quadam temperantia maxime praecellens, scientia quamvis haud vulgariter ac eruditione polleret, disceptationibus tamen, quae pluribus coram agitarentur, auditorem se tantum praebere, ac si forte sciscitaretur, se prorsus nescire, remisse atque subridens, maluerat profiteri; sententiasque suas, nonnisi repetitis fretus instantiis, uni privatim vel amicorum alteri vix consueverat aperuisse: quibusvis inde laudibus indignanti, multo ad eas pudore, lacrymis etiam, facies interdum suffundebatur. Domum adeo coercuit suam, ut nec quicquam, quod saeculari videretur respersum pulvere, invenires in ea, neve garrula quidem cujuscumque aut fractior ulla, qua sacra rumperetur quies, vox audiretur. Licet autem in omnibus moderatior ac frugi, cujus ideo abstinentiam referre injuria virtutum fuerit, sanctae nihilosecius aemulator hospitalitatis, non amicos tantum, sed quoscumque forte adventassent, nec modo comiter invitandos, sed etiam effuso corde et ore trahendos, in deliciis habuerat. Pauperum eapropter nullus ad ejus limina adiit unquam, qui indonatus abierit; quinimo annonae inopia laborantibus non solum pastoris sollicitudinem et parentis affectum unicum praestitit, nunc verbis consolando, nunc quatenus suppleret facultas opitulando,

(1) Tacit. *in Agricol.*

sed eis quoque nedum horreolum, at omnia voluit patere sua; re interea domi angustissima, sibique necessariis ultro sublatis, nihil proinde periisse sibi, laetanter et publice testatus (*B*).

Quae tamen ea virtutum est, quae sanctior quamvis et splendidissima, cunctis probari aeque ac singulis promereatur? Equidem, quia expeditior vitiorum censura tacens, ideo flagitiosos sibi virtus infensissimos facit; eorum vero, qui super candelabrum, ut aliis praeluceant, positi, ventilari cuncta, minuscula exprobrari, malignandi quadam invidia ac prurigine, humanum obviumque est. Quosdam praeterea, quibuscum vivere est, agyrtarum genus, novimus homines, a quibus laeta et prospera, tamquam propria ex industria prodeuntia, sibi de more vindicantur, aspera et adversa imputantur uni: aliquos, quibus quum benefeceris, pejores fiunt: alios, queis infidelis recti magister metus, qui si timere desierint, odisse incipient, proprium enim pervicacis ingenii est odisse quem laeserit. Haec porro difficultas, haec una pastores cura circumstat; atqui peculiaris Philippi nostri laus adeo sibi propria ac percelebris, ut, pravis opportune, importune, seminibus praefocatis, devicisse in bono malum, et quosdam sibi adversari non desinentes ne minori quidem in honore habere sustinuisse, lacrymis secreto ac precibus nonnumquam orans, ut tandem mutuo erga se animo vellent esse, atque toto pacatissimi ejus regiminis curriculo omnium sibi conciliasse vota, voluntatem vereque filialem amorem promeruisse, et quum ipse optimus fuerit, sui similes circa se effecisse omnes, ubivis fama percrebuit (*C*). Quae plane, aliaeve, quas alibi vel innuimus, ac in praesentiarum mittimus recti excelsique animi dotes, utriusque fortu-

nae, quae secunda felices, adversa magnos probat, casibus ullis haud unquam obstantibus, infirma quoque saepius valetudine, magisque ac magis per aetatis gradus explenduerunt, donec ultima praeventus hora, gloriosam inturbatus mortem oppetiit.

Praeventus, inquam, sed majore ovium damno, quam suo: satis quippe sibi, gregis vero, bonorumque omnium desiderio parum in vivis egerat; et quod laetanter suae tempus resolutionis aspexit, jam diu meditatus, ut tandem daretur esse cum Christo, indesinenter adeo concupierat, fere praestolabatur impatiens, ut, quum sibi discriminis quid instare primum commonefactus, amicis licet meliora ominantibus, exitum vitae advenisse statim animadverterit, dulciter effatus ex animo, *mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (1). Sacra mox peracta exhomologesi, pretioso Christi Jesu viatico refici, extremaque unctione ad novissima certamina roborari, efflagitavit ardenter, obtinuitque: quod sane flagrantiori cordis affectu, uberrimisque lacrymis ita gestum absolutumque, ut, an sibi, an concito adstantium fructui mage profuerit, prorsus nescirem. Neque vero fert animus, quid super stratum suae infirmitatis actum, enarrare: sat, quaeso, si, non lectulum doloris et morientis verba, sed cathedram docentis, et exultantis thalamum ferme dixero. Jamque inopinato suprema citius urgebat dies: jamque aestuante nimium febri, universis circa plorantibus, ipse cunctorum sereno pioque vultu solator, venientes nominatim consalutare, eisque coeli desuper adprecari benedictiones, et absentibus singulis, dudum sibi necessitudine junctis, ultimum edicere vale non de-

(1) *Philipp.* 1. 21.

stitit. Verum, *quid diu immolor, et dolorem meum differendo facio longiorem? ... timemus ad ultima pervenire, quasi, tacentibus nobis, et in laudibus illius occupatis, differri possit occubitus* (1). Occubuit tandem, vitamque laudatissimam pari exitu clausit.

Equidem proceritas corporis atque firmitas, aetatis indeflexa maturitas, incolumen diu videbantur hominem polliceri; at aevum omne et breve et fragile est. Idemtidem pluribus, quas expiatorias suae peregrinationis sueverat joculans vocitare stationes, aegritudinibus laboraverat, ab eisque totidem convaluèrat. Nimio postmodum, ultimis praesertim annis, expalluit squalore vultus, donec gravato admodum pectore, languescenti extemplo vomica, ut ajunt, auxilium omne, fessis jam rebus, absumpsit. Alicubi nimirum in pulmonis sinu, forte intra cellulam quamdam vesicularem, jam genitus efferbuerat abscessus. Ejus a sanguine primum secreta materies, sensim aucta, et proxima sanguifera comprimens vasa, ipsique sanguini juxta transeunti prava insinuans effluvia, coctione diuturna in pus sincerum maturata ac succrescens, eousque tandem aggesta, ut cystim prius valde distentam subito disrumpens, quaquaversum exundarit: ac se statim inmiscens sanguini, eumque vel a circulo praepediens, vel in ductus confestim irruens tracheales, simul eorum plurimos oppleverit adeo ac infecerit, ut aëri ad inspirationem sufficienti aditu denegato, vitalis illico flamma expirarit. Quod ut palam factum, non secus atque in domestico luctu, moerentibus publice cunctis, tristi mutum silentio rus omne torpere visum est: donec, tantae praenuncia jacturae delata celeriter fama,

(1) S. Hieronym. *Epitaph. Paul.*

plurium, e finitimis pastoribus et amicis, qui officiorum inferias darent, adventus, dolorem, in fletus jam et questus ubique conversum, auxit asperavitque.

Aeris tandem campani, quo populares convenirent, ut exanime sepulcro mandaretur corpus, clangor moestus insonuit. Ex agris tectisque, undique effusi, deside tamen invitoque gradu, processere: nulla inter coeuntes salutatio, nec colloquentibus data solantibusve responsa: silenti pavidoque agmine aedes canonicalis sensim oppleta est. Cunctorum, fixis in terram oculis, circumspexisses ora pallere, donec proficiscendi hora, expectatione tristior, advenit. Elevato cadavere, psalmum de more sacri administri protinus intonuerunt. Ast, mirum! attonitis singulis, quos ferme dolor obstupefecerat, haerentem faucibus vocem precesque adhibere non ausi, adhuc silentio stabant. Mox, haud mora, palam obortae lacrymae in gemitus, ejulatus confestim succrevere. Resumpto jamque funebri rythmo directe in templum vexillifer progrediebatur: ortus illico fremitus cum assensu: dein universorum voces idem petentium confuse in unum orationem interpellarunt. Ut venerandae pastoris exuviae circumducerentur, et quas castissimi pedes evangelizantis pacem dudum sanctificarant, carum onus illud ultima saltem vice occuparet vias, petitum simul obtentumque. Splendidus hinc, triumphalis veluti, apparatus: flagranti omnes perciti zelo, ut inviseeratae olim pietatis extrema pignora in pastorem amantissimum explicarentur, devinctique animi parentalia honorificentius fierent, sepulcrumque gloriosum. Hinc piae sarcinae vectationem alternatim subire gestiunt cuncti, ac fere decertant: hinc imis pauperum, amissum patrem lugentium, suspiriis, mulierum neniae permixtae: et qui domi resederant curvi senes, sese ad fe-

retrum vix trahentes, trementibus labiis fletuque soluto, vel breve gelidis demortui manibus figere osculum, aut Rosarii coronulas iis admovere, aut loculum ut daretur saltem arrectis brachiis pertingere, suetas perinde a defuncto quoque auspicarentur sibi benedictiones dulcedinis, conantur et satagunt. Hoc plane viri justi condignum funus, hae pompae, epicedia haec, exactumque monumentum, aere perennius, in ultimos usque nepotes duraturum! Quae vixdum comminiscens, et raptim adumbrans, opprimor lacrymis, plurima namque humanae passus infirmitatis, amici desideratissimi jacturam meminisse adhuc nec sine acerbo animi dolore possum. Quoniam vero spe magna, micanti veluti lucerna in caliginoso loco, abunde satis erigimur, de pretioso eximii viri fine laetemur, in quo sane positum paroecialis regiminis et decus et exemplum, et cunctis animarum ducibus, prae tot ac tantis diuturnae arduaeque curae laboribus, multiplex praecostensa corona est.

ILLUSTRATIONES.

(*A*) Talis quippe est humana natura: saepe cum magna superavit, a minoribus vincitur. Petrus, instante adhuc terrore, super aquas ambulare ausus est: sed contra venti impetum stare non potuit, et hoc cum prope Christum esset. Ita nihil juvat esse prope Christum nisi fide prope sis. Chrysostomus *Homil. V. in Matth.*

(*B*) Sit beneficentia nostra ex eo, quod nobis necessarium est, non ex eo quod redundat. Hac oblatione Deus magis delectatur, quam munerum copia et largitionis magnitudine. S. Gregorius Nazianz. *Orat. XV.*

Nullum eleemosynae impedimentum paupertas affert. Testis est vidua, quae duo minuta jecit, et eos qui multa contulerant, superavit. — O benignam animam! o mentem ad misericordiam proclivem! animi commiserationem paupertas non excidit: munificam voluntatem egestas non compressit: animi liberalitatem penuria non restrinxit! Chrysostomus in S. Joan. Damasc. *Sacr. Parallel. lit. α. Tit. VIII.*

(*C*) Nullus iis dolor est de incursione malorum praesentium quibus fiducia est futurorum bonorum. Denique nec consternimur adversis, nec frangimur, nec dolemus, neque in ulla aut rerum clade aut corporum valetudine mussitamus. Spiritu magis quam carne viventes, firmitate animi infirmitatem corporis vincimus. Per ipsa quae nos cruciant et fatigant, probari, et corroborari nos scimus et fidimus. S. Cyprianus *lib. ad Demetrianum.*

APPENDIX

DE GESTIS NICOLAI MARCACCII EPISCOPI ARRETINI COMMENTARIUS.

SUPREMAS lucubrationibus hisce meis vixnunc dederam manus, quum tristissimus percrebuit rumor, clarissimum nempe virum Nicolaum Marcaccium Arretinorum antistitem e vivis exscessisse. Ille nimirum, qui ad eas inchoandas absolvendasque ingenium excitarat meum, addiderat animos, easdem ut typis cuderem, inhibito cui fuerint inscriptae nomine, sollicitus ac volens apprime hortator et auctor. Lugubri nuncio consternatus, haerens in moerore conticui. At devinctissimi memorisque animi pignora quaeque depromere, meum fore arbitratus, trementi demum arripui dextera calamum, hoc uno saltem erigi solatio ratus, siquidem veteri sanctaeque necessitudini postremas velut inferias datum referre, et memoriae tam sacrae justa persolvere. Inopinum sane infaustumque, si quando pietas nostra silentium ruperit, et verecundiam vicerit suam, de ineluctabili ejus dolendum fato, et hominis, fama quamvis aequabili ac inviolata, praeconia fletibus admiscenda, si quando obsepta reseramus ora, froenatamque modestia sua linguam resolvimus!

Quae in vulgus felicia habentur ac summa, et cuncti semper contempsere sapientes, ab iis haudquaquam

exordiri sermonem, virumque laudasse, qui gloriosum sibi nomen suamet prorsus virtute compararit, nilque splendoris mutuatus ab aliis dicatur, faustum sane ac insigne. Quaecumque ideo ab externis ejusmodi praesidiis obversarentur adnumeranda, itemque, auspicatissima quamvis, tanti hominis primordia, nec enim parvis subit animum componere magna, praetereamus. Egregiae indolis puerulum, ab ipsomet cujus adspectu imago quaedam virtutis ingenitae atque honestatis emicarat, litterarum stadia, duodennem vix, ita cursitasse, interque bonas artes integrum ejus ingenium ita brevi adolevisse, ut nemo tunc fuerit, qui non eum, praeut re vera exstitit, talem fore palam auguraretur: mox vero, Corsinio, Guadagnio, Monilia, Bertio, aliisque in Pisano athenaeo celeberrimi nominis praeceptoribus operam dante, et severiorum curriculis disciplinarum alacri strenuoque animo praetergressis, promerita in sacris facultatibus laurea donatum, referant alii. Unum porro nec segni patiar dimittendum silentio. Decimosexto ineunte aetatis anno, natu major, cui proinde honestissimae ac locupletis familiae (1) primogenita quoque devolverentur, ut uxorem sibi deligeret exstimulatus, tantum abfuit, ut parentis optimi consiliis acquiesceret atque jussis, quin illico in sortem Domini festinus intraverit, ulli, nisi uni vocanti Deo, nescius obtemperare.

Ad grandia in Ecclesiam cooptandos, benedictionibus praeventos dulcedinis, probe scitum: alternos vero virtutum gradus iis prorsus respondere gratiae coelestis auxiliis, quibus praesto esse fideliterque adhaerere, in au-

(1) Patet e *pub. Regestis* Marcacciorum familiam, exeunte saeculo XIII., Pisanae reip. honoribus et civitate donatam.

ctus quoque plurimos iterum iterumque pro merito succrescere est; atque hac plane ratione cuncta eximii praesulis nostri praeclara gesta haud obscure praesignantur. Equidem exultavit ut gigas ad currendam viam. Ingenium namque, ad honestas quasvis disciplinarum docile apprime ac fere versatile, et ad eas percipiendas ita factum, ut quae disceret ex se veluti parere, et eorum quodammodo vel reminisci videretur, excoluit adeo, tanto mentis ardore studia adamavit, in eisque haud intermissa constanti adeo perstitit exercitatione, ut vicesimo aetatis emenso anno, e physicorum monitis suaemet jussus valetudini serio consulere, moerens et invitus ab assueta aliquantisper palestra temperare compulsus fuerit. Verum sat forte sibi, aliis nondum ratus profuisse. Nec mora: sacris mox candidandus, se omnino in proximorum salutem satagens devovere, seu verius grande sui specimen daturus, singulas pro esurialibus feriis conciones concito animo calamoque exaravit, absolvit; et vix Diaconatus insignitum ordine, adolescentem in paroeciali sua Ecclesia praeconem, tanta rerum notitia atque ordine, tantoque spiritus ardore et eloquutionis arte disserentem obstupuere cuncti, ut id unum diutina egisse exercitatione, facile visus fuerit (1); hac exinde sparta, sacerdotali unctione consecratus, et ad reconciliationis tribunal pro viribus adlaborans, in conspicuis quibusdam Pisanae dioecesis ecclesiis, laude pari, at potiori audientium aedificatione uberrimoque fructu, ad sexennium usque delata. Quidni, ulla re magis quam exemplis praeceptiones dixerim confirmatas? Simplicem utique integrumque, pacis et concordiae adsertorem, justum, abstinentissi-

(1) Anno 1762.

mum, itemque compositum et gravem, humanitatis tamen ac facilitatis temperamento ad aliorum potius defectus, quam sibi conniventem, juvenem probatissimum demirati sunt universi, quippe qui allicienti quadam comitate omnes conciliaret sibi, et exemplo suo ab improbitate quavis revocaret.

Quamobrem, quum lux tanta sub modio diutius latere nullatenus posset, in eamque amplissimus Pisanus Primas dudum oculos intendisset, super candelabrum, ut cunctis rutilaret in domo Dei, visum aliquando lucernam ponere. Insigni Aeraepontis ecclesia, suo viduata pastore, eique providendae concursu indicto, ut, saltem honoris gratia, spectatissimus juvenis in stadio curreret, jubente sacrorum antistite, nedum accitus, sed utique coactus est. Jamque, petentium albo nec nomine dato, ac veluti clam proludens, certamine initio, optimum prae aliis, aetate quamvis ac re promeritis, adeo sui fecit periculum, ut confestim publice renunciatum, unanimi procerum suffragio, bonisque cunctis plaudentibus, apprehendisse bravium. Restitit enimvero: humilitatis namque ac modestiae laude tamquam suamet ac maxima semper effloruit. Attamen et haud firmam valetudinem, et rei domesticae ac fratrum tenellula adhuc aetate, parente jam vita functo, se necessario curatorem frustra iterumque causatum, in Praepositum tandem suum Aeraeponticus populus, exhilaratis animis sollemnique apparatu, virum desideratissimum complexus est (1). Quo proinde intimiori cordis affectu creditum devinxerit sibi gregem, quae disserte pieque docuerit, quae, biennio vix emenso, gloriose gesserit, vel arduum sane paucis con-

(1) Kal. Maii an. 1768.

cludere, vel facile admodum dicendi inopia deterere. Etenim in ministerio verbi, seu ad conciones, seu ad cathechesim totus intenderet, effusa ac blanda, lacrymis passim respersa, pietas, mira et victrix quorumvis edocendis animis emolliendisque doctrina; assidua, nullis remissa curis, quamquam adjutrices cooperantium manus sibi praesto forent, et ad sacrae munia exhomologesis peragenda, et utrique infirmorum opitulandae saluti, anxia ac fervens sollicitudo atque caritas; in fratresque singulos, ut conjunctissimus cleri sui idemque omnino esset scientiae morumque consensus, unumque prorsus cor et anima una, obvia et sancta domi forisque necessitudo. Conspicuis exin, ut sponsae ornatui decorique studeret, subsidiis ultro litatum; at viventibus templis Dei, fere cunctis paroeciae suae, et propriis mage reditibus, ita largitum dispersumque, ut sub magnanimo vigilique pastore, viduam, pupillum, vetulum, nullum plane piguerit, aut imbecillo corpore, aut miserrima domi re laborasse. His tamen, tamquam bene auspicatis ad subliminores adscensiones praeludiis, quippe quae alte adhuc omnium animis, non facile obliteranda, insculpta vigeant, quoniam ad altiora properare nititur impatiens, raptim orationem nostram sat praelusisse.

Jamdiu apud nos splendidiora sanctuarii fastigia nonnisi spectatissimo prognatis genere dedita, exploratum satis. Quandoquidem vero, Petro Leopoldo Magno Duce jubente, omnium excitandis ingeniis, bonorumque praemiis bonos facturo, veteribus polithices praejudiciis obviam itum: ut ubicumque refulxerit adinventa virtus in promeritam honoris arcem aliquando reponeretur: quis tum primum et qualis homo praeponendus, et qui nomine ac re inducti juris exsplicaret ratamque faceret

aequitatem, et quem universis probatum neu desereret fama, neve ullius invidia lacesseret! Atqui vir ille in clarissimo Aeraepontis pastore statim facile praesignatus: quinimmo, exemplar hujusmodi singulare Principis animum excitasse, ut justitium ediceret, quo dignitates ac beneficia, pro sui virtute factoque periculo, quibusvis postmodum tribuerentur, propalam evulgatum. Jamque ad Biturgiensem cathedram inopino Imperantis jussu designatum innuimus. Obstupuit, haesit, indignantique animo rem aversatus, aditoque confestim Guidio praesule suo, se tanto inclamans omnino imparem oneri, moerore ac tristitia squalidus et gemebundus, quo prorsus immeritum, illo deprecante, declinaret honorem, ardenter adeo efflagitavit egitque, ut ingenua constantique refutatione permotus, nilque humani in rara humillimi hominis moderatione deprehendens, morem ei tandem gerere senex Metropolita non dubitarit. Incassum vero utrique actum: urgente namque immobilique praecepto Principis expugnata abnuentis modestia penitusque voluntas pervicta est (1).

Heinc sollemni inauguratione consecrandum Urbs regina septicollis excepit; quam eximiis vel quotidie candidatis demirandis licet jamdiu assuetam, tanti prorsus egregias animi ingeniique dotes adhuc fama viget in homine probatissimo jure meritoque fecisse, quanti e plurimis iisque singularibus benevolentiae officiorumque testimoniis, quibus ab summo Ecclesiae Praeside, purpuratis patribus, cunctisque curiae proceribus honestatus cumulatusque fuit, maxime declaratum. Quaecumque tamen venientis gloriae murmura de more perosus, itine-

(1) Mens. Septemb. an 1770.

re properato, secessit. Verum, evitata charybdi, in scyllam incidisse, ipsemet aliquando joculans commemorabat. Domum namque reduci, ibidemque rato, parumper sibi rebusque suis indulgendo, veluti delitescere, inopino sub noctem Aeraepontis fines vix adventatum, quum subitus ingentis populi occursus, qui flagranti acclamitans jugique plausu, confertim acta inter funalia, festivis ubique coruscantibus taedis, aerisque campani ciente sonitu, ad propriam usque januam undique septum invitumque prosequutus est. Quam ob rem gregi, quem intimo jam deperierat affectu, sibique moras denique rupit: et vix nonnullis, vetuli Primatis fretus instantiis, episcopalibus muniis, cum Pisis, tum alibi, ejus vice, rite peractis, clam noctuque discedens, alacri animo dioecesim adiit suam, (1) grande sui periculum inde facturus.

Etenim verae solidaeque gloriae appetentissimum natura genitum, ad eam sibi animosius et constantius comparandam consequutae occasio dignitatis magis magisque incitavit, impulit, roboravit. Splendidissima eo citius praecucurrerat fama; hinc quod eum erga studium, quae voluntas universorum, suo in urbem ingressu apertissima significatione commonstratum: obviam sibi undique proditum: faustis acclamationibus omnia personabant: omnium in eo uno figebatur obtutus. Quid plane vel ipsa praeveniens mireque alliciens non suaderet ac inflammaret exoptatissima hominis praesentia? Juveni quidem antistiti tantum integritatis et sanctimoniae, modestiae tantum, et comitate singulari attemperatae inerat gravitatis, ut ab

(1) Die 10. Maii an. 1771.

ipso omnem virtutum formam sibi petere singuli potuissent.

Numquid fortasse quispiam, quae in re multijugi ac uberrima ad dicendum suppetant, singulatim persequenda arbitretur? An me potius illustria et sublimia tenuiter humiliterque delibantem verius, quam exponentem insimulet? Meminimus enimvero, virtutes et gesta incliti praesulis ita esse usquequaque comperta, ut numquam clarioribus argumentis illustrata, aut in posterum illustrari posse videantur; ideoque minuere verbis timendum fore, quae amplificandi spem sua magnitudine sustulerunt. Sat mihi, quaeso, omnium jam pridem sermone celebratissima raptim attingere, et quoddam tanti viri veluti specimen exhibere.

Biturgiensis ecclesiae vix ad septennium moderatus habenas, ut, infirma plerumque valetudine, aliquod e nativi aëris temperie beneficium capesseret, domum saepius remeare coactus est. Dum tamen instantem sacri regiminis obeundis muniis sollicitudinem, et conspicua sapientiae ac pietatis, quae prolixe exegerit, monimenta inspiciamus, multa explevisse tempora facile dijudicandum. Nam et templum episcopale, piorum stipe haud exiguis quidem curis recepta, suoque potissimum aere conlato, operibus ampliatis ornatum absolutumque: et Christi pauperibus alacri liberalitate inexplebili datum, effusum: et rei sanctae ac disciplinae tuendae atque restituendae, sacrorum administris accuratiori delectu sciteque cooptatis, et jugi verbi pabulo, et exempli irreprehensibilis efficacia, ad omnimodam crediti sibi populi sanctificationem, indesinenter pro viribus adlaborantem, factumque vere formam gregis: et in quibusvis gerendis negotiis, caritate duce comiteque prudentia, sollerter sancteque gesta,

quae perpeti recordatione apud spectantissimum clerum et Biturgiensem dioecesim usqueadhuc servata, et clarissimi quoque in eadem cathedra successoris Roberti Costagutii luculentissimo, ad me comiter datis literis, testimonio maxime probata, nulla unquam aetas obliterabit.

Grandia haec prorsus atque praeclara; verum siquando rebus sub Arretinis infulis ab egregio praesule nostro gloriose gestis ea comparavero, tamquam bene auspicata episcopalis ejus regiminis fere tyrocinia haud injuria nullus dubito facile videantur. Ardua namque et impervia aliquando sibi certaminum laborumque palestra reserata est: et sanctae ac percelebris Arretinae ecclesiae fastigium ipsi ultro repositum, ut validiores supremasque apostolici spiritus exereret vires, et memorandum sibi nomen, et in aevum omne duraturam requiem deposceret. Jam vero graviori superindui sarcina minime detrectarat; quinimo, neque languescentis tum corporis aegritudini parcens, neque novis ac plurimis adductus incommodis atque curis, unum fere Dei nutum in sui electione, et vocatione humillime veneratus, se volens omniaque sua alacri libentique animo tradidit (1). Quam sane, tametsi patulam ac exoptatam, tot tantisque fulgentem undique monimentis, semitam aggredienti, quo se verteret nescius haereret animus, nisi ceu flosculos qui forte pulcriores occurrant, ut sacro dem cineri, cursim legenti, fas mihi gratiam veniamque precari.

Omne subjecti populi lucrum ab sibi cooperantibus sacrorum dispensatoribus proxime pendere, gnarus vigilque praesul optime noverat: in id totus iccirco primum incubuit, ut satis abunde scientia pollerent, ac bono Chri-

(1) Die 14. Decemb. an. 1778.

sti odore cunctos profunderent, nil qui ex adverso essent iis unquam exprobraturi. Conscensa eapropter cathedra vix, doctrina aeque ac pietate refertis, literis in orbem datis, de hujusmodi necessitate clerum universum admonuit suum. Hinc, tam se coram in urbe, quam ruri apud huic praefectos negotio, practicas morum disciplinae singulis mensibus collationes faciendas apprime decretum; ecclesiastica, uti vocant, academia, ephebis in duces animarum rite efformandis instituta; mox vero aedibns Seminarii, suo quoque adauctis aere, millibus aureorum, latius, magnificientius exaedificatis, ipsâque postmodum academia in easdem translata, sapientes ac probatissimi, honoribus praemiisque honestandi, acciti praeceptores, selectissima ad ingentem rei bibliothecam congesta volumina, disciplinae, studiorum ratio scite ac provide praesignata. Quem proinde tamquam agrum novorum germinum vel quotidie invisere, colere, perscrutari, et ceu pupillam oculi sollicite seduloque tueri ac prorsus deperire, assidua quidem antistiti sollertissimo, anxiaque cura, sed et suave delicium fuit. Tum denique indecora clero et saeculo studia sublata: et veteri excusso pulvere naturalium instituta scientiarum facili firmiorique sacrorum stadiis adferere praesidio: ipsaque facultas theologica, scholae nugis lutoque detersa, antiquitatum notitia, omnique eruditionis accessione circumornata, suamet gaudens dignitate, gravior ac pulcrior apparuit. Sed et qui posthac exorti flores, et uberrimi spem quoque praevenerint fructus, plurimus qui tum inclaruit, et Arretinam diocesim mirifice usque adhuc irradiat exornatque, pastorum et ministrorum chorus affatim edocebit. Quod etiam mihi nuper e permultis eorum scriptis, quae, providissimo jubente antistite, rara temporum felicitate ubi

quae sentias dicere liceret, ad dioecesanam Synodum peragendam diserte utiliterque paraverant, compertum ratumque est.

Jamque, haud mora, ut ipsum sibi creditum gregem invisere cominus, fere nominatim compellare, verbique pabulo satageret enutrire, festinantem intueor. Dioecesum et paroeciarum visitationes, praecipua quamvis canonum ordinatione sancitas, tamquam parum fidelibus utiles vel actos pro forma plerumque excursus, nonnulli fortasse alicubi audeant insimulare. Quiddam nos in pastore nostro vigilantissimo dignum ac praestans, quod sane ab enatis inde fructibus datum dignoscere, animadvertimus. Mittam quae, raro animi moderamine, ne gravis cuicumque foret, ex concesso pro temporis necessitate ministranda, recusarit, quae parco rerum omnium usu, *quam cellerrime*, uti Tridentina Synodo jussum, lustratis paroeciis, inter varia itinerum incommoda et diei pondus et aestus, languescenti jam pectore incertaque dudum valetudine, attamen pro suis ne renuens quidem ovibus immolari, aequo semper ore pertulerit, quae demum, paternam prorsus in omnes explicans caritatem, prout locorum temporumque ferret occasio, ad pacem, ad justitiam, ad pietatem, sapientia, zelo, prudentia par, instituerit. Ecquis vero populos effuso corde dulciter adloquentem praetereat? Singulari quippe miti ac flexanima vocis et eloquii gratia, mos ubique illi, ac uno pluries eodemque die, granditer et saluberrime, itemque apposite, breviter, ita dicere, audientium adeo percellere animos, eisque penitus dominari, ut nil mirum, si piissimo praesule disserente, plurimi saepius ad salutis tramitem converterentur, seque beatum quisquis audierat existimarit.

Ceterum, absens quoque, spiritu autem suis jugiter conjunctissmus, numquando aeternae vitae habere verba destiterat? Illas heic, quas pastorales appellitant, evoco litteras, quibus non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, et in omni patientia et doctrina, suae commissis fidei animabus instare, easque opportune, importune arguere, obsecrare, suoque omnino, seu verius Christi spiritu, ad supremas usque horas, nunquam desiit vivificare. Verum et istas, quippe quae apud Arretinos, suos jam cooperatores ac fratres, tamquam pretiosa auro digna cedroque pignora, sancte adhuc serventur, supervacaneum dictis concelebrare; nilque aliud, nisi ut ad veriorem clarissimi antistitis imaginem ex ipsis ejus lucubrationibus repraesentandam, publico collecta praelo, in optimam omnium frugem, aliquando elucescant, superesse modo videatur.

Interea spiritus ambitionis nequam et inflans quosdam adortus erat, qui singulari sibi captando nomini, ad nequiora proinde, si datum fuisset, properaturi, pacatissimam Etruriam nostram, recti speciem praesefe rentes, dissidiis, turbis admiscuere. Equidem occasionem nacti qua forte utramque inter potestatem simultatis ac diffidentiae torpor quidam obrepserat, saeculari haeserunt auctoritati; idque tandem egère, ut sacros jamdiu praefinitos subvertere limites, summi Hierarchae intacta jura et castissimam Ecclesiae disciplinam, ne fortasse intemerata quoque dogmata adjiciam, exturbare prorsus, atque unitatem fere discindere conniterentur. Hisce ausis, nam quid dissimulem? fatuâque ejusmodi licentia impune debaccari sitâ, conticuere boni, omnisque Thuscia contremuit. Ast, o promeritis numquam exornandi satis et honoribus et praeconiis, Etruriae decus et columen, pervi-

giles Antistites genorosi, quibus datum in Florentino conventu astus vaferrimos declinare, uni litare veritati, speratamque tandem populis, et pugnando, et cunctando, reparasse tranquillitatem! Atqui Arretinum hos inter episcopum conspicuas sibi praecipuasque comparasse laudes, jure merito dijudicatum. Ingentia namque suamet manu ego ipse scriptitata videram, quibus et praepositae aphaereses reformationis, et ad provincialem synodum praeambula, et quaedam confratrum luctationes ad severiorem trutinam revocantur; et quamvis, ardua ac tanta in re, uni adhaerere partium quin simul altera quoquo modo laederetur, cuique vel impossibile videri queat: mirum tamen ac memorandum, aut dicentem, aut exscribentem notasse praesulem nostrum, qui omnigena sapientiae copia puraque mente pro Ecclesiae libertate, et Petri cathedra viriliter decertarit, itemque ingenuo animi candore et moderamine prudentissimo, nova, ambigua, futilia ingeniose adeo depulerit, declararit, expunxerit, ut non modo ulla adversariis censura minime institerit, aut conquestus quid caussae fuerit, sed ne illorum quidem confidentiam, suetamque Principis benevolentiam amiserit. Nam et ipse praesul annulo pretioso donatus, ejusque sponsa cathedralis sumptuosa supellectile decorata: et nonnullis Etruriae episcopis eligendis, ut ab eo qui digne cooptandi nominarentur, iterum iterumque efflagitatus (1): et cujusdam Arretii occasione tumultus, piissimo antistite de-

(1) Hoc forte nuper eruimus e diversis epistolis per *Auditor. a secret. reg. Jurisdictionis*, ut ajunt, jubente magno Duce, ad Arretinum episcopum missis, sub an. 1790., et 1791, apud haeredes aserv.

precante, aliis poena remissa, cunctis inminuta (1), alineque permultae animi significationes, quanti semper Marcaccium nostrum Magnus Dux fecerit, apertissime declararunt.

Ita plane et redux et victor, suisque dignior, animum, quem zelus exedebat Ecclesiae, applicuit omnem, ut siquae forte bonum infra semen delituerint zizaniae, penitus eradicarentur, ut domestici Dei, eo coram et hominibus, immaculata scientiae vitaeque sanctimonia coruscarent. Qua in re hoc sibi peculiare, omnium o utinam una eademque esset praesulum cura! ut quivis e clero quoquo modo forte corruerint, emendarentur quidem, numquam vero, scandalis dicteriisque excitandis, et vilitatae regalis sacerdotii dignitati vel despiciendae vel exprobrandae, propalam coercerentur. Oh si virum amantissimum, clam aliquo noctuque accersito, paterna plane caritate, submissa mitique voce, doctrinis, obsecrationibus, lacrymis, quoadusque errabundum fratrem lucrifecisset, pro viribus adlaborantem respexisse datum! Hoc sive per literas praestiturum, iis propria exaratis manu, nulloque a secretis conscio, silentio missis, scrutatorem cogitationum cordis, effusa scribentem anima considerare! Ceterum licet omnibus quacumque hora praesto esset, nullius tamen integerrimo praesuli acceptio personae: ad beneficiorum officiorumque conlationes,

(1) „*Il nostro Sovrano è minutamente informato del grano, che Ella sempre, e particolarmente per tutto il corso di quest' anno, ha fatto dare ai poveri: e dei mezzi, degni d'un vero Vescovo, da lei adoperati per ricondurre i traviati, e dei sentimenti del suo cuore, portato all' indulgenza e compassione*„ haec, inter alia, ex epist. *Marchionis Manfredinii* ad praesulem nostrum, sub die 18. Aprilis 1795., ibid. asserv.

ad jusque dicundum, nihil unquam ille aut metui, aut gratiae dederat: preces namque apud eum neque ad justa petenda necessariae, neque ad extorquenda injusta efficaces. Ex abundantia quidem cordis quae ab ejus nutu ac voluntate penderent, ultro dedita: quae autem, exigentibus aliquando caussis, recusanda, ex ore humanissimi antistitis blando adeo lenimine sua detergebantur austeritate, ut clare cuiquam innotesceret, libenti animo concessum quod ex necessitate dictis cogeretur abnuere, ut nullus ideoque repertus unquam fuerit, qui denegatis indoluisset, et ab sermone ejus tristis abscesserit.

Verum egregia quaelibet et pietatis, et sapientiae, et honoris incrementa, discriminis ac molestiarum intoleranda quandoque caussa; ab illis equidem, improbi, mediocres, ambitiosi, tacita se censura aegre ferentes inuri, vehementer adeo plerumque exstimulantur, ut zelotipo quodam livore tabescentes, nisi tantam ausint virtutem obducta fronte oppugnare, latenter saltem probris, calumniis adnitantur ei conviciari. Et plane optimus praesul haec passus; sed, ut aurum igne examinatum purgatumque septuplum fieret: ut obtrectatores suos ac maledicos silentio vinceret, patientia, humilitate leniret: ut ingeniosa prorsus benignitate criminosis excusationem libellulis impetraret aut veniam (1), reisque gratiam libentius exhiberet quam faceret: ut demum, Christi Jesu et praecepto inhaerens et exemplo, ore, corde, manu

(1) „ *Non attribuisco a malignità, ma a zelo, la rappresentanza; ed all' accusatore, che non mi è forse ignoto, professo gratitudine più che rinsentimento* „ verba sunt mitissimi praesulis in *epist. hortatoria* ad Magnum Ducem, ut vafro calumniatori veniam impetraret. *Apud Haered.*

ageret pro inimicis, et se, quem neglexerint, impense colere, quem oderint, vere diligere, sereno blandoque vultu, illaeso animi affectu, pia effusissima beneficentia compelleret. Jactent ethnicorum sapientes, qui injuriis lacessiti haudquaquam ulciscerentur, simillimos diis judicandos; tantum humanae indolem excedere naturae miram ejusmodi virtutem censuere; nobis christiano more laudanda est. Sat adjecisse, ab tolerantissimi pastoris rara constantia obseptis labiis, infensorum sibi nedum nomina aut rem, sed ne syllabam quidem, vel aliquantulam quae movere suspicionem posset, numquam excidisse: adeo ut nihil, praeter injurias, oblivisci solitum, jure dictum; et ex eo solum, a quibus ipse aliquo modo aut exasperatus aut laesus, quandoque innuisse personas, in quas nempe humanioribus conlatis officiis ac benefactis intenderet, publice percrebuerit.

Excitatam quippe sanctae studio caritatis munificentiam, veluti propriam sibi tesseram praeseferebat; et qui alicunde prius pertransierat benefaciendo, praefinitum sibi gloriae locum incredibili suamet liberalitate dator magnus implevit. Sinamus utique, parentem desideratissimum, providumque servatorem, perfugium miseris, uno omnium gratissimo effusoque ore Arretinos populos deflere adhuc. Aequum etenim illisque decorum, sacrae horrea mensae pauperibus exiguo quotidie pretio reserata, et modicâ quandoque annona ubique desinente, frumenta valde majoris haud prope comparata, minoris viliusque inibi de more venienda, commemorare. Dulce profecto et jucundum, viduas, orphanos, puellasque periclitantes, inopesque familias, seu provisas, sive collectos undique in bonumque publicum redditos, aut coenobiis receptas conspicuisve in dotem subsidiis donatas,

vel dietim saturatas pane, undecumque praemonstrare; et egentibus cunctis petentibusve, privatim, publice, indesinenter, laevâ quid dextera egisset nesciâ, emissum, profusum, omnibus Arretium ventitantibus, etiamnum, suspiriis, lacrymis, soluta voce, enarrare. Nobis vero tot inter munifica excelsi animi monimenta, qui ejus potissimum opera ac tutela jammunc efflorescunt, litterarum bonarumque artium satorem patronumque sibi numquam pro meritis collaudaturos, gnaros atque excultissimos viros intueri praestat. Praestat, majorem praesertim ecclesiam commeminisse, percelebris olim episcopi Guidonis Tarlatii insigni sarcophago restituto, et eam, pluresque sacras aedes pretiosa supellectile, elegantique ornatu decoratas. Et episcopale palatium instauratum, detersum: *Caesamque* suam utilioribus instructam novaliis ac aedificiis: suburbanamque *Gaudiolam* ociis honestissimis accomodatam praestat innuere: cursim attamen et incompte; quum nullum plane tam latae diocesis remotiorem abditumque loculum sit perlustrare, qui notando aliquo ejus beneficentiae vestigio haud obsignetur. Ecquid eapropter mirum, si proxime moriturus, amantissimi et generosi utriusque Fratris nomine bis admonitus, integrum sibi postremis tabulis quicquid vellet disponere, semel iterumque praesul ingenuus renunciarit, nil sibi quo testamentum conderet superfuisse, aegre quinimo pati, quae dudum paterna e domo distraxerat, minime posse referre. Ad haec vero, siqui forte, locupleti Arretini episcopatus obventione, antistitem integerrimum suosve ditiores factos effutire sint ausi, ni sulfusi rubeant pudore, saltem conticescant.

Dum vero auspicatissimam illam noctem repetimus, in qua percelebrem augustissimae Deiparae Virginis ico-

nem coelesti lumine datum inclaruisse, alta omnium mente recondita praesulis relligiosissimi pietas confestim prae oculis obversatur. Etenim haud humano commotus impulsu, assurrexit extemplo, cucurrit; agnitoque coelitus radiante signo, adproperati simulque exterriti populi fidem, spem, amorem, accendit, roboravit, et auxit: magnalia Dei reserare, clementissimae mundi Reginae explicare misericordias, flagranti oris et mentis ardore, flexanima concitaque oratione, non destitit. Magnum sane spectaculum, omne vel saxeum pectus exagitans, haec inter, et quoadusque, pretiosam sanctamque sarcinam humiliter pieque amplexatus, eam in proximiorem sacellum gloriosius honorandam praesul ipse detulerit, et pastorem et gregem, vehementiori spiritus commotione, fletui soluto, anhelisque suspiriis, et preces, et grates, et affectus tenerrimos commiscere! Ipsam proinde benignissimae Dominae ac Matris imaginem, terra, crebris jam motibus trepidante, extunc firmata, innumeris jugiter conlustratam prodigiis, et enixis omnium votis undique concelebratam, venerabundus eminus deprecator, miseris abstineam indignisque laudibus frequentare; eamque potius, providissimi praesertim antistitis opera, magnificentius repositam admirabor. Aequum proficuumque zeloti episcopo apprime visum, ut in tabernaculo Domini, ceu novi foederis arca, sublimi ac venustissimo apud cathedralem ecclesiam extructo sacello, in signum populis attolleretur. At melioribus quoque coeptis, inimici hominum versutia, cupidinum opinionumve diversitate plerumque obstitum, bonumque publicum, ut in plerisque negotiis assolet, privata gratia devictum. Ecquis enimvero grande praesulis animum morari potis aut amovere? Recti namque pervicax, curis, laboribus haud unquam

parcens, adversa composuit, avulsit obices, moras rupit: stetitque perenne illud Arretinae suaeque pietatis monumentum, in quo, se prorsus nescio, exuviis paraverat suis gloriosum in spem vitae sepulcrum.

Ceterum multa quidem succurrunt quae dicerentur; quandoquidem vero, quod erat illuminandum, id ut magis extaret ac emineret adnisa est, recessum aliquem habeat oratio, quo et paucula de privato quoque homine gaudeat exhibuisse. Licet enim, facta dignitatis accessione, nihil de quotidiana vitae consuetudine mutarit, tantoque usus temperamento, ut pari aequanimitate steterit in utraque fortuna, quaedam nihilosecius, quum nonnisi laudabiliter aut fecerit, aut dixerit, aut senserit, commemoranda. Vir sane omnibus ad sociale bonum valde spectabilis, et prae dignitatis fastigio prorsus admirabilior, cui ne momentum quidem sterile benefacto, ut proinde vere usurpari queat, minime diem perdidisse. Patiens nugarum et laboris, et ubi res vigiliam exigeret, plane exsomnis: prudens deditor consiliorum, libentius aliis acquiescens. Ignorantia rudibus mitissima tolerantia compati: scientia elatis fastuque superbis, inaffectata oris ac mentis simplicitate, neve connivere, neve reluctari: linguaces, animoque pravos inverecundo, palam composito pudore, silentio, nutu, paucis, monere solitus, emendare: virtute certare cum optimis, et bonus tamen esse malle quam videri. Amicitiarum tenax, conjunctissima usus consuetudine, jucunde versatus, et audiendo et communicando, interdum quippe honesti aliquid leporis inerat, haud incredulus rerum, sed temperantior, non exornator, sed enarrator. Domi suppellex, nec sumptuosa, nec multa, ut in neutram partem conspici posset. Cultu modicus, luxus cujusvis osor, abstinentissimus, frugi:

quum autem obvio quemque hospitio reciperet, immo compelleret, ut splendide, profuse, meliora, cuncta dederet, sollicitus, liberalis. Isthaec recte quidem acta, non ut facere videretur, sed secus agere quia nesciret.

Diutina ideoque habituali fractum infirmitate retulimus: eaque iccirco de caussa, patrios repetere saepius lares, ut tantisper alleviaretur, e medicorum placitis cogebatur. Inde, loco amoenissimum, coeloque saluberrimum, rus Crispinense, quo semper ferme convaluerat, quo mire delectabatur, autumnalibus feriis, seu veris tempore, mos illi divertere. Vel nulla tunc inservientium turba, insigne dignitatis nullum: uno aut altero amicorum comitatus, praedia invisere sua, infrequentibus ambulatum anfractibus ire, et hospitiolum hocce petere meum, in eoque saepius familiariter diversitare, solatio habuit. Ubicumque vero adiret, consideretve, ne quid vacuum in ociis quoque sineret, aliquid de re sacra, literaria, bonisque artibus, de historiis patriae, quam summopere dilexerat, de accuratiori agrorum cultura, quam e Tullio *parsimoniae et diligentiae magistram* dictitabat, proferre, sciscitari, ad trutinam revocare, et sensim, haec inter, ad relligionem ac pietatem sollerter omnia referre.

Inibi plerumque rusticabatur vir eximius Franciscus Vincentius, Pisciensis episcopus, quocum assidua Marcaccius noster consuetudine versabatur. Aderat Sacelli mei, e B. Virginis Mariae Nomine nuncupati, anniversaria dedicationis festa dies, ad quam, mei plane gratia, uterque convenit. Jamque sollemnis instabat celebratio Missae, quum extemplo, e chori ambitu cunctis de clero rogatis abire, admotis notulis, assa claraque voce, graviter adeo, apposite, devote praesules excultissimi cecinere, ut exem-

plar aedificationis splendidum ac memorandum interessentibus cunctis mire praebuerint (1). Veniam, quaeso, si veluti ad propria videar descendisse, quis haud renuat efflagitanti; magna enim et plurima levibus paucisve congerendo, amicissimum quodammodo referre hominem, atque acerbam ejus tristemque jacturam aliquo saltem lenimine cohibuisse, indulgendum est.

Verumtamen ecquid amplius mecum dissimulo? Brevi concitaque bene factorum ejus recordatione, quam forte levamini fore mihi speraveram, cruentum adhuc recruduit vulnus, moeror moerore cumulatus est! Nemo eapropter, obsecro, de suprema exoptatissimi praesulis hora, et patriae, suaeque dioecesis lacrymis, squalore, et inexplebili desiderio, quicquam sibi abs me postulet enarrandum. Satis jam, inconcussa integraque sacrorum fide, in Romanum Ecclesiae Patrem obsequio (2), sedula ac ferventiori in gregem suum dilectione ac pietate, in omnes mansuetudine, liberalitate, misericordia, et morum castimonia, et praestantia ingenii, et omnium copia virtutum, e tot granditer sancteque gestis clarum innuimus, ut vitae tam innocuae, tam gloriosae exitum respondisse simillimum, facile quisque sibi suadeat. Equidem, o spes hominum fragiles! equidem raptus (3)!

(1) Die 14. Octobr. an. 1790.

(2) Praestat subjicere quod legitur in epist. Em. Cardinalis et Archiep. Senensis Antonii Zondadarii ad praesulem nostrum, sub die 17. Marti 1798. „ *N. S. Pio VI. la ringrazia di cuore delle attenzioni usateli nel suo ritiro di Siena, l'assicura della sincera sua stima, e si raccomanda alle sue orazioni* „ apud haeredes.

(3) Die 29. Julii an. 1739. in lucem editus, Kalendis Januarii. an. 1799., diro anheloque bimestri spasmate absumptus interiit. Sacro, de more, curato corpore, organico periisse vitio, compertum: cor extraordinariae magnitudinis

Raptus, inquam: at ne fictio deciperet animam illius: et tum praereptus, quum suos, si in vivis egisset, lugere facilius posset, quam juvare: et tamdiu vitam duxit, quamdiu licuit in civitate bene beateque vivere: et diem obiit denique suum, ut nostri adhuc memor, utinam et præsidium, tantis quesita meritis ocyus donaretur corona.

F I N I S.

inventum, jecur vero scirrhis obstructum adeo aridumque, ut adstantes medici, tamdiu vivere potuisse, mirati fuerint. Honorificentius elatus, tum Arretii et Biturgiae, tum in patria, alibique, supremis datis inferiis, a cl. viris pro funere laudatus, in Arretinae cathedralis B. Virginis Mariae Sacello tumulatus est. Novissime ibidem, an. 1804., Gasparis et Aloysii fratrum amore ac munificentia, splendidissimo monumento immortalis praesulis exuviae repositae.

INDEX RERUM

Prior numerus romanus indicat *Prolusiones* seu *Epistolas*: secundus numerus *paginas*: Litterae majusculae *Illustrationes*: Ap. *Appendicem* praesignant.

A

B

C

D

E

G

H

I

L

M

P

R

S

T

V

Z

407

Pag.	Vers.	ERRATA	CORRIGE
9.	11.	explere	explorare
19.	21.	Van-Espenius	uti Wan-Espenius
	22.	utique	utrique
28.	14.	efficere	afficere
40.	24.	costans	constans
48.	11.	posilire	prosilire
53.	23.	studio	stadio
54.	15.	solidioria	solidiora
70.	25.	locutionem veritates	locutionum varietates
73.	5.	sollicitudinem praetiosam	sollicitudinum pretiosam
78.	17.	ad mores, summum bonum	ad mores, ad summum bonum
83.	11.	captim	carptim
91.	1.	illeciti	illecti
95.	3.	habes et caecus	hebes et caecus
99.	18.	Godeanio	Godeauio
100.	2.	Flenryano	Fleuryano
103.	2.	comprendiaria	compendiaria
	13.	Gregroriana	Gregoriana
117.	23.	Onxelosii	Onkelosii
124.	24.	affari	effari
127.	4.	philantïa	philautïa
141.	28.	quam	quum
142.	17.	severiorum	severiorem
151.	3.	criminantibus	criminationibus
153.	29.	praesignat	praesignant
156.	10.	millesque	milliesque
169.	8.	dimoverant	dimoverat
170.	32.	commoranda	commemoranda
171.	22.	sppellex	supellex
172.	6. 7.	loci, ut ajunt, Theologi	*loci*, ut ajunt, *Theologici*
187.	24.	sevabitur	servabitur
188.	29.	infirmitatus	infirmatus
190.	26.	rapse	reapse
	13.	spiritum	spirituum

Pag.	Vers.	ERRATA	CORRIGE
193.	15.	pactic e	practice
195.	6.	quis enim obstupeat	Quis enim non obstupeat
198.	21.	miseratur	misereatur
199.	1.	errogans	arrogans
201.	9.	et S. Gregorii	e S. Gregorii
205.	3.	proprius	propius
207.	15.	et unum	ut unum
214.	11.	Bourdalonium	Bourdalouem
216.	7.	quaeant	qua eant
226.	18.	vinciniorem	viciniorem
227.	15.	oblecationis	oblectationis
223.	5.	deferenti	deferendi
234.	3.	ut praeter	ut (praeter
	5. 6.	se paruisse doceat	paruisse constiterit)
261.	21.	aut pene	aut pene semper
265.	4.	aerum	aereum
268.	4.	sibique concreditum gregem	a sibique concredito grege
291.	15.	affixisse	effinxisse
317.	6.	itemque exoptanda	itemque facilis exoptanda
318.	22.	jugiter, omnis	jugiter, ut omnis
328.	1.	imprudentia	impudentia
333.	2.	impudentar	imprudenter
343.	nota (6)	*Eccli* 26. 6.	*Eccli* 25. 6.
358.	14.	cotemptor	contemptor
373.	5.	inopino	inopine
375.	1.	spectantissimum	spectatissimum
376.	23.	adferere	adfuere
396.	12.	praeceptoris	praeceptoribus

Diphtonga, vel omissa, vel perperam adjecta, literae, aut immutatae, aut suppositae, puncta ortographica commixtim neglecta, cetera, sub venia Lectoris benevoli.

409

I M P R I M A T U R

Si videbitur Rev. P. Magist. Sacri Palatii Apost.

Candidus Maria Frattini Archiepisc. Philippensis Vicesg.

I M P R I M A T U R

Fr. Philippus Anfossi Ord. Præd. Sacri Palatii Apostolici Magister.